



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XXVIII. De Accvsationibvs Recvsationibvs Et Relationibvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

6 Notand. III. Iudices sedendo iudicare debent, non stando, aut eundo, alioquin irrita est sententia, & addit *gl. hic. verb. Sedendo*, id non tantum de sententia definitiua accipiendum esse, sed etiam de cognitione

causæ, ut colligitur ex *authenti. ut ab illustribus. §. Sancimus. coll. 5. & auth. de Iudicibus. §. Sedendo. coll. 6. l. 2. §. dies. ff. quis ordo in possessionibus seruetur.*

TITVLVS XXVIII. DE ACCVSATIONIBVS RECVSATIONIBVS ET RELATIONIBVS.

Postquam de Iudicis sententia, eiusque affectu & executione actum est, subiungitur de appellationibus, quia appellatio est remedium contra sententiam, per quod effectus eius suspenditur & impeditur, sed quia cum appellatione conueniunt Iudicis recusatio & relatio causæ ad superiorem, cum etiam per has jurisdictionis Iudicis suspendatur, ideo sub eodem titulo de his tribus agitur.

S V M M A R I V M.

1. Appellare est ad Maiorem seu superiorem tanquam iudicem prouocare.
2. Appellatio est duplex judicialis, & extrajudicialis. Quid utraque?
3. Recusatio, est declinatio Iudicis & jurisdictionis eius, eò quòd ex causa verisimili suspectus sit.
Debet ea fieri intra dies viginti, post libellum oblatum, ante litem contestationem; nisi post eam causa suspicionis de nouo emergat, aut cognoscatur.
4. Relatio est Iudicis in causa de jure dubitantis ad Principem missa consultatio. Modus quo fieri ea debeat.
5. Jurisdictio interea huius Iudicis quiescit, dum Princeps, vel eius successor responsum dederit.

1 Appellare aliud non est quam ad maiorem seu superiorem tanquam iudicem prouocare, Duplex est appellatio, judicialis

& extrajudicialis; judicialis appellatio definiti potest ex *Hofstiens. in Summ. hoc tit. n. 1.* jurisdictionis prioris Iudicis per inuocationem superioris rite factam suspensio.

2 Diuiditur in appellationem à sententia definitiua & appellationem à sententia interlocutoria seu quæstionis incidentis, de qua sermo est in *l. 2. ff. de appell.*

Extra judicialis autem appellatio, est prouocatio ad superiorem ob extrajudicialia grauamen quod ab inferiore inferitur, aut probabiliter inferendum timetur. Videri potest *Abb. in Rubr. huius tit. n. 1. & seqq.*

3 Recusatio est declinatio Iudicis & jurisdictionis eius, eò quòd ex causa verisimili suspectus sit *l. Apertissimi. 16. c. de iudicis. c. causam. 17. c. suspicionis. 39. de off. delegati. & d. xi de ea in D. de Iudice ordinario concl. 37. & sequentibus.* Debet autem Iudicis recusatio hæc intra dies 20. post libellum oblatum ante litem contestationem proponi *auth. offeratur. C. de litem contestatione.* nisi causa suspicionis post litem contestatam de nouo emergat, aut de nouo cognoscatur.

His casibus recusationi locus est, quia quæ de nouo emergunt, nouo auxilio indigent. *arg. l. de arate. 11. §. ex causa. ff. de interrogatorijs actionibus.* & notauit *gl. in cit. l. apertissimi. verb. recusare.*

4 Relatio est Iudicis in causa de jure dubitantis ad principem missa consultatio. Dicitur de jure dubitantis; nam si de facto dubitet, ipsemet inquirere debet, non autem superiorem consulere *l. eum quem. 79. §. iudicibus.*

dicibus ff. de iudiciis. & notauit gl. in l. 1. verb. consulat. C. de relationibus, debet autem causa plenè instructa & in breue compendium redacta vnà cum actis transmitti. l. 3. in n. gl. C. eod. Et necesse est, vt ratio prius partibus edatur, quàm transmittatur. Ita vt si vera & sufficiens non videatur, eam refutare, & appellare possint. l. 1. & 2. C. eod. Bald. in cit. l. 3. n. 2.

5 Porro si iudex causam referendam esse decreuit, ex eo tempore iurisdictio ipsius quiescere debet, donec superior consultus, vel successor eius (consultatio enim ad superiorem dirigitur ratione dignitatis, quæ transit ad successorem) responsum dederit, vt colligitur ex *cit. l. 1.*

CAPITULUM I.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Prior & Canonici Gisebergenfes ad Alexand. III. querelam attulerunt contra Eboracensem Archi-Episcopum Apostolicum Legatum, quòd post appellationem ab ipsis ad Papam interpositam, Priorem suspendit, Ecclesias eius interdixit, Canonicis excommunicationem denuntiavit, si Priori obedirent. Denique quòd post appellationem, Parochias quæ ad Prioris & Conuentus collationem spectant, tanquam ad ipsum propter conferendi negligentiam deuolutæ sint, ipsemet contulit, ea propter Alexand. III. mandat delegatis iudicibus, vt rei veritatem per testes idoneos, & famam sollicitè inquirent, & si ita rem se habere cognouerint, Ecclesiarum collationes ab Archi-Episcopo factas Apostolicâ autoritate reuocent, nisi Prior & Canonici collationes facere malitiosè distulissent.

Habetur hæc decretalis tom. 3. Concilior. in Concil. Lateranens. sub Alexand. III. p. 10. c. 1. vbi hæc verba annectuntur quæ hic omissa sunt: *provisuri attentius, ne ita subtiliter, sicut à multis fieri solet hu-*

jusmodi actio intendatur, inquiretis, sed simpliciter & pure factum ipsum, & rei veritatem secundum formam Canonum, & statuta Patrum inuestigatis.

SUMMARIUM.

1. *Qua post interpositam appellationem extrajudicialem & contra eam facta seu tentata sunt, omnia sunt reuocanda.*
2. *Etiã contra actum, quem quis posset dicere nullum, appellare quis potest ne fiat.*

ADvertendum quòd de 4. Capitibus quæ rela proposita fuit Pontifici, ad quæ vna responsio dari potuit, videlicet; quæ post interpositam extrajudicialem appellationem, & contra eam facta seu tentata sunt, omnia reuocanda esse, *iuxta. c. Cum nobis. Vbi Innoc. n. 2. h. tit. Abbas hic. n. 4. Felin. n. 1.* ponunt discrimen inter appellationem iudicialem, quòd acta post eam, si appellatio iusta fuit, omnia rescindi debent, quippe cum potestas iurisditionis suspensa fuerat; & inter extrajudicialem appellationem, cuius acta non rescinduntur, seu quæ post eam acta sunt, nisi sint contra appellationem. Exemplum habes in *cit. cap. Cum nobis. 19.* Si appellatum sit, ne fiat electio non Canonica & post Capitulares canonicè eligant, valet electio. Item si contra merum Provisorem & Executorem Rescripti Apostolici appelletur, ne conferat præbendam non vacantem. Ipse verò postea omissa illa, vacantem præbendam conferat, valida est collatio, cum non sit contraria appellationi.

Porro circa vltimum punctum delatæ querelæ expressiùs responderet Alexand. III. vt collationes factæ ab Archiepiscopo reuocentur, nam præcipua inter partes lis erat circa collationem beneficiorum, quam Archiepiscopus facere aggressus est, prætendendo (vt suspicari licet) quòd Prior & Canonici per tempus semestre conferre ex negligentia distulerint contra *cap. Quia. 5. de concess. præbenda.* Et idèd collatio facta à Priore & Capitulo post semestre irrita sit, & collatio ad ipsum deuoluta, sed cum Prior

& Capitulum iustum impedimentum allegarent, & ideò à se institutos Vicarios defendendos esse dicerent, & ne contra quid attentaretur, ad Sedem Apostolicam appellarent, nihilominus Archiepiscopus processit ad collationem adversus appellationem & ideò Pontif. respondit, Collationes Archiepiscopi revocandas esse, præterquam si inquisita veritate constiterit, quòd Prior & Conventus non iustè impediti, sed malitiosè (vt v. g. redditus Parochiarum vacantiù ipsimet perciperent;) conferre intermiserint.

² Not. vnic. Etiam contra actum, quem quis posset dicere nullum, appellare quis potest, ne fiat. *arg. c. Dilecto. 63. h. tit. & docet hic Abb. n. 5. v. g. ne Archiepiscopus conferat, cum conferendi potestate careat, & hoc casu ostendendum est appellanti, collationem factam esse post appellationem, cum hoc sit fundamentum suæ intentionis, videlicet vt acta post appellationem rescindantur, ita tamen, vt, si in probatione succumbat, seu appareat collationem prius factam esse, nihilominus agere possit per viam nullitatis, vt collatio irrita declaratur tanquam facta à non habente potestatem. Conferunt huc, quæ docet *Bart. in l. Si expressim. n. 2. & 7. ff. hoc tit.**

CAPITULUM II.

Inter:

PARAPHRASIS.

Abbas S. Apollinaris interposuit appellationem ab Archiepiscopo Rhemenfi super omni causa, quæ alioquin coram ipso moveri potest. Hanc appellationem *Alex. III.* admittendam non esse censet, sed Abbatem ita appellantem arguit. Doctrina huius Capituli intelligetur *infra in c. Consuluit. 18. hoc tit.*

CAPITVLVM III.

Ad nostram.

PARAPHRASIS.

Alexand. III. scribit ad Abbatem S. Petri,

appellationis remedium non ideò inuentum esse, vt Religioso ab ordinis sui obseruantia exorbitanti patrocinium nequitie adferat, quare non obstante, quòd aliquis suorum subditorum appellaret, nihilominus Abbatem iuxta regulæ præscriptum & Ordinis institutionem corrigere & emendare debere.

S V M M A R I V M.

1. Appellatio instituta est pro iniuste grauatis, ideòque in innocentia subsidium, non malitia patrocinium adhibenda.
2. Correctio Religiosi secundum Ordinis Regulam pertinet ad solum Prælatum Regularem, Conuentu non requisito.
3. Episcopus tamen erga non exemptos potest supplere negligentiam Prælati.
4. A correctione Regularis Disciplina non admittitur appellatio.
5. Nisi Prælatus aut Visitator procedendo per modum paternæ correctionis ac penitentia in corrigendo modum excedat, & tunc appellatio deuolutiuum, non suspensiuum effectum parit.
6. Si alteruter horum in forma iudicii procedit, ante sententiam definitiuam appellatio (præsertim in causis v. sitationis & correctionis) non est recipienda.
7. Limitatur; nisi grauamen inferatur, quod per appellationem à sententia definitiuam reparari non potest. Post sententiam definitiuam recipitur appellatio, quæ tamen etiam in hoc casu tantum parit effectum deuotiuum.
8. Regula canonica est: Appellatio in causa correctionis propter disciplinam regularem, vel Ecclesiasticam seruandam, admittenda non est, nisi modus excedatur.
9. Neque contra utramque illorum audiendi Clerici, vel Religiosi obijcientes prescriptionem.

Not. I. Ex fine, ob quem res instituta est, colligendum, num eius vsus permissus sit nec ne, quare cum appellatio pro iniuste grauatis, ideòque in innocentia subsidium inuenta & instituta sit, non debet in patro-

patrocinium iniquitatis ac malitiæ deseruire. *c. Cum speciali. §. Porro. hoc tit.*

- 2 Not. II. Correctio Religiosi secundum ordinis regulam pertinet ad solum Prælatum Regularem, Conuentu non requisito. ita colligitur ex hoc tituli huius cap. Quando nulla cõuentus mentio fit, & notat *Abb. n. 2. Capra. n. 7.* Verùm Episcopus Clericos suos corrigere non debet non adhibito Capituli consilio, *c. Episcopus. 6. causa 15. q. 7.* Præterquam si maiorem & independentem à Capitulo corrigendi potestatem præscripserit. *c. 3. de consuet.* & monet hîc *Abb. & Tolosanus de appellationibus. l. 2. c. 10. n. 9.* His adde, tamen potestas corrigendi Religiosos, sit in regulari Prælato, tamen Episcopum erga non exemptos, suppleri posse negligentiam Prælati. *c. Quanto. 7. c. irrefragabili. 13. de off. Ordinarij. Quare dici solet, quod correctio Monachi secundum Regulam primo loco pertinet ad Abbatem.*

- 4 Not. III. A correctione, quæ regularis disciplinæ causa fit, non admittitur appellatio. *c. Reprehensibilis. 26. de off. Ordinarij.* Idemque sentiendum de Clericis secularibus, quod contra disciplinam Ecclesiasticam in visitationibus appellare non debent. *cit. c. Reprehensibilis. c. Licet. 12. de off. Ordinarij. & in Trid. Sess. 13. c. 1. de reformat. & Sess. 22. de reform.* simili ratione apud Romanos à Cenforum correctione seu censura prouocari non poterat, cum ea nec infamiam aliquam irrogaret, sicuti *ex Cicer. pro Cluent.* testatur *Tolos. cit. c. 10. n. 5.*

- 5 Excipe, nisi Prælatus aut Visitator in corrigendo modum excedat contra *c. Irrefragabili. cit.* hoc enim casu appellatio admitti debet. *cit. c. Licet. & c. De priore. 31. hoc tit.* cum Prælatus potestate sua abutatur non minus, quàm executor, si limites commissionis excedat. *c. Quod ad. 15. de sent. & re jud.*

Pro maiori huius rei intellectu distingue: vel Prælatus, aut Visitator procedit in forma iudicii, vel per modum paternæ correctionis ac pœnitentiæ. Hoc casu posteriore non potest appellari, nisi modum excedat,

v.g. si ob leuissimam causam subditum torqueat, in carcere detineat, hoc casu aiunt *Bald. & Alexand. de Neuo. hîc n. 5.* quod Monachus ex Monasterio conquerendi causa fugere possit, veruntamen in hoc ipso casu appellatio non parit effectum suspensivum, sed tantum devolutivum, idcoque non obstante appellatione Prælatus aut Visitator cognoscere potest de prætenso correctionis excessu, iuxta *Trident. sess. 24. c. 10. de reform. & annotauit Barbosa de off. Episcopi. p. 3. alleg. 72. n. 32.* In priore autem casu refert, num sententia definitiua lata sit, nec ne, nam ante sententiã definitiuam appellatio, præsertim in causis visitationis & correctionis recipi non debet, *cit. sess. 13. c. 1.*

7 Limita, nisi grauamen inferatur, quod per appellationem à sententia definitiua reparari non potest. v.g. incarcerationio vel excommunicatio, sicuti docet *Nauarr. consil. 2. de appell. edit. 2.* Post sententiã definitiuam appellari potest, ita tamen vt non pariat effectum suspensivum executionis, siue vt nihilominus sententia executioni mandari queat, vt colligitur ex *Trid. sess. 22. c. 1. de reform. & sess. 24. c. 10.* Et tradit *Barbosa loc. cit. Paulus Piasec. in praxi p. 2. c. 3. n. 8. num. 6.* nam Regula Canon. est, quod appellatio in causa correctionis propter disciplinam Regularem vel Ecclesiasticam seruandam admittenda non sit, nisi modus excedatur *cit. cap. Licet. & cit. cap. De priore. h. t.* Quod autem modus excedatur, id non præsumitur, idcoque allegari debet & coram Iudice appellationis probari.

His addendum, quod contra disciplinam & correctionem Ecclesiasticam Clerici non audiantur obijcientes præscriptionem, sicuti Abbas hîc monet in fine Capituli; multo minus Religiosi audiendi sunt, si præscripsisse se velint aduersus disciplinam Regularem, cum jugum obedientiæ, & Regula, quam professi sunt, abiicere nunquam possint.

* * *

f s s a

CAPIT.

Personas.

PARAPHRASIS.

Si appellans ad Pontificem prosequendæ appellationi terminum nimis longum præfigat, Iudex ipsi tempus assignare debet, intra quod commodè ad Pontificem venire possit; sin is ad diem præfinitam accedere negligat, Iudex eum compellet, vt se iudicio submittat; quòd si verò aliquis conuenientem terminum appellationi suæ præfixerit, sed intra eum terminum causam prosecutus non fuerit, Iudex similiter potest illum cogere, vt sententiæ suæ absq; contradictione, nullaque concessâ appellatione obtemperet.

SUMMARIUM.

1. Fatalia appellationis interponende sunt quatuor. Primum est decem dierum, quod tempus incipit à momento late sententiæ, & cognita parti.
 2. Fatale secundum est 30. dierum, pro Apostolis petendis, & impetrandis, quos si intra tempus hoc appellans non petuerit, censetur renuntiasse appellationi.
 3. Tertium est tempus illud, quod à Iudice, à quo appellatur, determinatur appellanti pro Apostolis presentandis iudici ad quæ, intra quod tempus si non presententur, appellatio deserta censetur.
 4. Est autem hoc tempus insinuandæ appellationis sex mensium, & ita à jure definitum, vt ab homine, scilicet à Iudice, aliter deterninari possit.
 5. Fatale quartum est tempus prosequenda & finienda appellationis. & hoc est annus, & ex causa iusta biennium.
 6. Pauperi fatalia appellationis interponende, aut prosequenda, aut finienda non currunt.
 7. Appellans, terminum appellationi prosequenda præstitutum, breuiare potest, vti & Iudex.
- Adverte, quòd appellationis fatalia (id est, tempora, quibus elapsis facultas, quæ

appellandi causâ concessa est, intercidit) quatuor potissimum numerantur. 1. fatale appellationis interponendæ est; 10. dierum *aut b. hodie. C. de appellat. & incipit hoc tempus à momento late sententiæ, idèòque dicunt tempus currere de momento in momentum, vti notat gloss. in Clem. 3. verb. à die. hoc tit. Guil. l. 1. obf. 139. n. 5. vbi admonet Notarios, vt non tantum diem, sed etiam horam interpositæ appellationis ex Actè notent. Veruntamen terminus à quo videlicet late sententiæ intelligi debet, postquam ea parti litiganti cognita est. cap. Contestationi. 8. h. tit. in 6. Quare dicunt DD. quòd tempus interponendæ appellationis vtile sit in principio, sed in progressu continuum.*

Ceterum à grauamine extraiudiciali habente tractum successivum, vt si aliquis per mensem integrum in carcere contineatur, hoc toto tempore appellare potest; tanquã à presente seu adhuc durante grauamine, sicut notauit Franc. in cap. Ex parte. 47. col. 3. hoc tit.

Alterum tempus seu fatale est 30. dierum pro Apostolis seu literis dimissoriis à Iudice à quo petendis & impetrandis. l. Præses, 3 l. Iudicibus. 24. C. de appellationibus. c. Ab eo. 6 eod. tit. in 6. alioquin si appellans intra id tempus Apostolos non petuerit, appellationi renuntiasse censetur *cit. c. Ab eo. vbi id explicabitur.*

Tertium fatale est, quod à Iudice, à quo appellatur, appellanti determinatur, vt Apostolos sibi datos presentet Iudici, ad quem, ita, vt si intra tempus tale (quod introductæ appellationis vocant) non presentauerit, appellatio deserta censetur, vti hic & c. seq. habetur. & in *cit. l. Præses. videri potest Guido Papa decisione 136. Est autem hoc tempus, intra quod Apostoli presentari & appellatio insinuari debent. 6. mensium, l. 1. C. de temporibus appell. & Ordinatione Camere Spirens. p. 2. tit. 30. §. 1. & 5.*

Verum hoc tempus non ita in jure definitum est, vt non etiam ab homine videlicet à Iudice secundum causæ qualitatem & locorum circumstantias determinari possit, adeò vt si Iudex determinauerit tempus, siue intra

intra quod appellans arripere iter debeat. *cap. Peruenit. 28. hoc tit.* siue etiam Apostolos presentare, seu Iudici, ad quem se sistere debeat, vt *hic iunct. gl. verb. Tu ei diem.* & appellans non paruerit, appellatio deserta censeatur. Et ita apparet quod terminus statutus ab homine imitetur terminum statutum à iure.

5 Quartum fatale ad prosequendam & finiendam appellationem, vtroque iure est annus, & ex causa iusta biennium. *auth. ci qui. C. de temporibus appel. cit. Clement. sicut & c. seq.* vbi de hoc dicitur.

6 Veruntamen pauperi propter impotentiam fatalia appellationis interponendæ aut prosequendæ aut definiendæ non currunt, vti videri licet apud *Gail. l. 1. obser. 142. Bald. in l. 2. §. si quis in iudicio n. 4. ff. si quis cautionibus.* nam impedito non currit tempus. *c. Quia. 5. de concess. prebenda.* & mora non debet esse detrimento, si culpabilis non est. *l. Quod ro. 5. ff. si certum petatur,* sed decem dierum spatium ad appellationis vocem insinuandam Iudici à quo, currit etiam pauperi, si tamen in scriptis appellandum, idè quod aliquid expendendum, tum probata inopia coram Iudice à quo, appellatio pauperis etiam post decendum ipso iure, & non petita in integrum restitutione videtur esse admittenda, teste *Gail. loco cit. & Guido. ne. decis. 436.*

7 Not. vn. Licet legibus certus terminus constitutus sit appellationi prosequendæ, tamen appellans eum breuiare potest, similiter & Iudex, dummodò consideratis circumstantiis tempus congruum definiatur, sicuti habetur *in cap. seq. & docet, hic Abb. q. 3. Franc. col. 4.*

CAPITVLVM V.

Cum sit.

PARAPHRASIS.

Siue ante siue post sententiam definitiuam appelletur, annus conceditur, vel ex causa necessaria & evidente, biennium ad appellationem prosequendam & finien-

dam; Iudex tamen à quo, considerata locorum distantia, causæ, & personarum qualitate, tempus breuius definire potest, quòd si appellans intra hoc tempus causam prosecutus non fuerit, sententia prius lata in rem iudicatam transibit, ita vt postea in ead. causa non audiatur, qui appellauit; sin autem aliquis à grauamine ante litis ingressum appellârit, appellatio recipietur, quia sacri Canones etiam extrajudicalem appellationem permittunt, quamuis hæc prouocatio potius quam appellatio dicatur. Si denique aliquis in iudicio ante sententiam definitiuam appellauit, is debet stare sententiæ eius Iudicis, ad quem appellauit.

S Y M M A R I V M.

1. Numeratur tempus deputatum, in appellatione iudiciali à die interpositæ appellationis; in extrajudiciali à die illati grauaminis.
2. Impedito agere, seu appellationem prosequi, non currit tempus.
3. Sublato tamen impedimento, & tempore prosequendæ & finiendæ appellationis finito, prioris iudicis iurisdictionis processum suum habet.
4. Tempus definitum à iudice succedit in tempus definitum à lege, ita vt eosdem effectus, quatenus id fieri potest, operetur.
5. Annus concessus pro appellatione à grauamine extrajudiciali à iudice breuiari & prorogari potest, quo tamen etiam finito, adhuc grauatus audiendus non per modum appellationis, sed simplicis querelæ.
6. In quo differat appellatio extrajudicialis à iudiciali.
7. Extrajudicialis appellatio proprie appellatio non est, sed prouocatio à iudice inferiore ad superiorem.

Not. I. Appellationi tum iudiciali, tum extrajudiciali prosequendæ & finiendæ annus est deputatus, & ex causa biennium vt *hic, & Clement. sicut, eodem titulo.* numeratur annus in appellatione iudiciali à die interpositæ appellationis, in extrajudiciali vero à die illati grauaminis.

2 Veruntamen impedito agere seu appellationem prosequi, non currit tempus *cit. Clem. sicut. juncta gl.*

3 Corollarium. Si tempus prosequendæ & finiendæ appellationis, semoto justo impedimento, finitum sit, perinde censetur, ac si appellatum non sit, ideoque prioris Iudicis jurisdictio processum suum habet, *vt gl. notat. in l. eos. 6. verb. vel injustam. C. de appellationibus.*

4 Not. II. Tempus definitum à Iudice succedit in tempus definitum à lege, ita vt eisdem effectus, quatenus id fieri potest, operetur, teste *Innoc. c. Extratione. 2. b. t.* Dico quatenus fieri potest, quia *vt gl. hic monet. verb. Decisus. Abb. n. 17. ex c. Ex insinuatione. 50. b. t.* Iudex à quo, non potest terminum definire, intra quem causa appellationis finiri, debeat: nam hac ratione immisceret se jurisdictioni Iudicis ad quem, sed tempus designare potest, intra quod appellans iter arripere, vel Iudici appellationis se sistere debeat, quòd si id fecerit, annum deinde habebit, vel ex causa necessaria & coram Iudice ad quem probata biennium, sin autem iter non arripuerit, vel Iudici se non presentarit, tum sententia ante lata executioni mandari potest.

5 Not. III. Ei, qui à grauamine extrajudiciali appellauit, conceditur etiam annus *cit. Clem. Sicut.* Verùm hoc tempus à Iudice breuiari, & ex causa necessitatis prorogari potest. Porro si tempus istud finitum sit, nihilominus audiendus est super jure suo, is qui se grauatum ait, non quidem per modum appellationis, cum ea deserta censeatur, sed per modum simplicis querelæ seu juris communis remedium, *c. Concertationi. 8. h. tit. in 6.*

Quare in hoc differt extrajudicialis appellatio à judiciali, quòd in hac appellans post desertam appellationem non audiatur amplius, super sententia seu interlocutoria seu definitiua, contra quam appellauit, adeò vt etiam non citato ipso executioni mandari possit, quia frustra aliquis citatur, si audiri non debeat, *vti hic docet Abb. n. 7. Alex. n. 12.*

6 Not. IV. Extrajudicialis appellatio non

est propriè dicta appellatio: nam appellatio strictè sumpta supponit iudicium ceptum esse, cum sit prouocatio à Iudice inferiore ad superiorem, at verò extrajudicialis appellatio facit inchoari causam seu litem, quando à grauamine prouocatur ad superiorem tanquam Iudicem. Quare nomine appellationis in materia odiosa non comprehenditur extra judicialis prouocatio, teste *Alexand. hic n. 13.*

S. Præterea.

PARAPHRASIS.

Si raptor, vel rei alienæ violentus detentor contra sententiam appellet, in foro Ecclesiastico, recipitur eius appellatio, præterquam si manifestus criminofus. v. g. raptor aut fornicator existat, sicuti ille, quem Apostolus absentem & non citatum excommunicauit.

SUMMARY.

1. Etiam in causis criminalibus appellatio conceditur, quæ tamen in Romani imperii tribunalibus non admittitur.
2. In causa notoria appellatio non recipitur, neque, si notorium sit, Reo nullam defensionem competere, citatione opus est, nisi ad audiendam sententiam.

Not. I. Etiam in causis criminalibus appellatio conceditur, ita vt ea pendente executioni mandari non debeat sententia, tametsi ultimi supplicii sit, vt docet *Bart. in l. Qui ultimo. ff. de penis.* Sed alibi monui in Romani Imperii tribunalibus, appellationes in causis criminalibus non admitti.

Not. II. In causa notoria appellatio non recipitur, sed eâ non obstante sententia executioni mandari potest, adde si notorium etiam sit, reo nullam defensionem competere posse, quòd nec citatione opus ad eum finem, vt defensio eius exaudiatur, *c. Cum olim. 12. desent. & re jud.* Et tradit *Abb. Franc. & alii hic, nihilominus citatio fieri solet saltem ad audiendam sententiam, sicuti Alex. hic monet, n. 20.*

Ob-

Obicitur, excommunicatio ab homine fieri non potest nisi precedente monitione, c. *Cum desideres. 26. h. tit.* quia requirit contumaciam, quæ non apparet, nisi monitio seu requisitio antecesserit, ergo non est verum, quod Apostolus 1. ad Corinth. 5. excommunicârit Corinthium absentem non requisitum.

Responder cum *gl. hic verb. irrequisitum.* Innocentius & alii, existimandū esse, quod Apostolus prius admonerit hominē per se, vel per alios, & cum contumacē atq; incorrigibilem intelligeret, ipsum excommunicârit, quare per vocem *irrequisitum* intelligi debet, quod citatus non fuerit, ut audiretur.

Verūm secundūm praxin fori Canonici, quantumvis aliquis in delicto perseverans contumax & incorrigibilis videatur, admoneri prius debet cum cominatione censuræ, atque etiam citari, ut appareat eius præsens contumacia, ob quam excommunicatione, aliæ censuræ dignus fit, sicuti *Abb. hic monet. 32. Sum. de censur. D. 3. S. 10. n. 8.* vide quæ docui *l. 1. tract. 5. p. 1. c. 3. n. 6.*

CAPITVLVM VI.

Adhæc.

PARAPHRASIS.

Si is, qui à Iudice in aliqua causa appellauit, pendente appellatione ad eundem in alia causa trahatur, quia v. g. crimen commisit, poterit eum Iudicem tanquam suspectum recusare, alioquin stare debet iudicio eius, præsertim si Ordinarius eius Iudex sit.

SVMMARIVM.

1. Appellatio suspendit jurisdictionem iudicis in ea causa, in qua appellatum, non in alia disparata.
2. Iudex super pluribus causis delegatus, si in vna appelletur contra ipsum, vel ab ipso, potest in aliis procedere.
3. Si iudex Ordinarius vel delegatus à quo in vna causa appellatum est, in alia diuersa pro-

cedere velit contra appellantem, potest recusari tanquam suspectus.

4. Recusans autem iudicem, non tantūm allegare & probare debet, se ab eo in alia causa appellasse, sed etiam probare, se ab eodem grauatum, & quidem iniuste, siue ex intentione.

Argumentum sufficiens mala intentionis est grauamen illatum, si id secundum se iniquum sit.

Not. I. Appellatio suspendit jurisdictionem Iudicis, in ea tamen causa, in qua appellatum est, non autem in aliis disparatis. c. *Proposuit. 24. hoc tit.* nam causa producit effectum limitatum, sibi que proportionatum, cum itaque appellatio fiat propter grauamen in hac causa illatum, idēd parit effectum suspensiuum jurisdictionis, quoad hanc tantūm causam, & quæ ipsi connexa sunt, qua de re vide *Rotam Roman. in nouis decisionibus. de appell. decis. 31.*

Not. II. Si Iudex super pluribus causis delegatus sit & in vna appelletur contra, vel ab ipso, hoc non obstante procedere potest in aliis, ita colligitur ex hoc *cap. verb. maxime*, quæ suapte naturā est particula implicatiua, non exclusiua, secundum *gl. receptam in c. Ad abolendam 16. verb. maxime de filiis Prebyterorum.*

Not. III. Si Iudex ordinarius, aut delegatus, à quo in vna causa appellatum est, in alia diuersa procedere velit contra appellantem, potest recusari tanquam suspectus.

Verūm hoc casu, qui Iudicem recusat, non tantūm allegare & probare debet, se ab ipso in alia causa appellasse, sed etiam probare (videlicet coram arbitris communi consensu electis c. *Cum speciali. 61. h. tit.*) se à Iudice grauatum esse, ut hic docet *Joann. Andr. n. 4. in fine.* & quidem iniuste siue ex intentione, non tantūm materialiter & præter intentionem; Verūm benè monet *Abb. n. 3. trans. q. 2. contr. Bart. in l. Vnica. ff. Apud eum, à quo appellatur &c.* Cum animus & intentio probati non possit, nisi ex coniecturis, hoc esse sufficiens argumentum mala intentionis & affectionis, quod grauamen secun-

secundum, se iniquum sit, quandoquidem in malefactis praesumitur mala intentio. *c. 1. de praesumpt.* Nisi praesumptio ista contrariis praesumptionibus infringatur. *arg. l. Si non conuicti. s. de iniuriis.* vbi probatio ei incumbit, qui aliquid iniuriosum se, non conuicti causam dixisse ait.

CAPITVLVM VII.

Si duobus.

PARAPHRASIS.

Titius & Caius litigabant coram Episcopo v. g. suo; vterque appellauit, Titius ad Papam, Caius vero ad mediatum, videlicet Archiepiscopum, nullam mentionem faciens de appellatione à Titio interposita; quare Archiepiscopus Titium citauit, qui si non compareat per se, vel Procuratorem, vel aliam contumax extiterit, valet excommunicatio in ipsum promulgata, dummodo Iudex seu Archiepiscopus nesciuerit ad Pontificem appellatum fuisse.

SUMMARIUM.

1. Si vterque litigantium à iudice appellent ad diuersos iudices, minorem & maiorem, ad minoris citationem (si is nesciat ad maiorem esse appellatum) appellans ad maiorem comparere tenetur, & si non compareat, valde ut contumax excommunicabitur.
2. Citatus à iudice, qui habet jurisdictionem in personam & causam, nisi accidens interuenierit, non comparens in contumacia constituitur.
Nisi notorium sit, exceptionem hanc declinatoriam competere citato.
3. Clericus citatus à iudice saeculari, creditus ab eo esse laicus, licet non compareat, nec exceptionem opponat Clericatus, non constituitur in contumacia.

NOtandum vnicum. Si vterque litigantium à sententia Iudicis, quatenus ea ipsis contraria est (prout dixi in *c. Significarent. 1. de except.*) appellent ad diuersos Iudices

minorem & maiorem, distingui debet, num Iudex minor sciat appellatum esse ad tribunal maius; hoc casu procedere non potest, quia maioris Iudicis potestas absorbet inferiorem, *Argum. l. Contra. 54. §. Is vero. ff. de re jud.* an vero nesciat; tunc si citet alteram partem, eaq; nihil excipiendo non compareat, tanquam contumax valde excommunicabitur.

Corollarium. Si Iudex, qui haberet Iurisdictionem in personam & causam hanc, nisi accidens interueniret, citet, & citatus non compareat, in contumacia constituitur. *l. 2. ff. Si quis in jus vocatus non jerit.*

Exemplum est: Si Clericus dicatur hominem occidisse, idcirco citetur ab Episcopo suo, comparere debet, & allegare, quod in loco diocesis exempto occiderit, ne alioquin potestatem ordinariam contemnere videatur.

Excipe nisi notorium sit, exceptionem hanc declinatoriam competere citato, quia frustra allegatio eius requiritur, quod notorium est, & ita docet *Gl. hic verb. Nisi cognouerit. Alex. n. 27. Franc. super cit. Gl. vbi* similiter aiunt ex communi doctrina, quod Religiosi exempti, si citentur ab Ordinario, non tenentur allegare priuilegium exemptionis, si notorium sit.

Alia ratio est, si Iudex saecularis citet Clericum, quem probabiliter putat esse laicum, Clericus vero non compareat, nec exceptionem Clericatus opponat, hoc enim casu non constituitur in contumacia, propterea quod in Iudice nullum sit fundamentum jurisdictionis erga hanc personam, & ideo citatio eius, cum ipso jure nulla sit, nullum contumaciae effectum producere possit, sicuti ex *Joann. Andr. in c. Scienti. de Reg. jur. in 6. notat Franc. citato loco.*

§. Denique.

Si quis à Iudice saeculari ante vel post definitiuam sententiam ad Sedem Romanam appellauerit, distinguendum est: num tribunal à quo, sub temporali jurisdictione Pontificis contineatur, hoc casu procedit appellatio, an vero extra jurisdictionem

ditionem Papæ temporalem existat, hoc casu secundum consuetudinem valere potest, sed spectato communi jure non valet.

SUMMARIUM.

4. A seculari iudice, qui non est de temporali jurisdictione Ecclesie, de jure communi ad Papam non appellatur, licet appellatio hac secundum consuetudinem valere possit.
5. Ordinariè & directe Papa non se immiscet causis secularibus & judiciis extra terras Ecclesie sue, seu Patrimonij S. Petri.

4 **NOT. I.** Valida est consuetudo; vt à Iudice laico appelletur ad Ecclesiasticum. *Arg. c. Si Clericus. 5. & c. Licet. 10. de foro competente*, sed vice versâ non valet consuetudo, vt ab Ecclesiastico Iudice appelletur ad secularem, quia maius & dignius est tribunal Ecclesiasticum, quàm seculare; appellatio autem necessariò sit à minore ad maius tribunal.

NOT. 2. Ordinariè & directe Summus Pontifex non immiscet se secularibus causis & judiciis extra terras Ecclesie sue, quæ dicuntur esse patrimonij S. Petri. sicut docet *in c. Nouit. 13. Not. 1. de judiciis*.

CAPITVLVM VIII.

Ex ratione.

PARAPHRASIS.

Tametsi annus & ex causa iusta biennium prosequendæ & finiendæ appellationi jure definitum sit, tamen si aliquis propter impotentiam intra hoc tempus appellationem prosequi intermisit, etiam postea audiri debet, & iustitia ipsi contra priorem Iudicem administrari.

SUMMARIUM.

1. Impedito agere, non currit tempus seu fatale prosequendæ appellationis, ita vt etiam post biennij lapsum appellans audiri debeat, saltem per beneficium restitutionis in integrum, si ex proprio facto impeditus fuerit.

NOTAND. vnicum. Impedito agere, non currit tempus seu fatale prosequendæ appellationis, vt si viæ hostibus infestæ sint, quominus ad Iudicem appellationis accedatur, vel si Iudex noluerit, vel non potuerit causam audire, & cognoscere, tali casu ipso jure illæsus seruari debet, ita vt etiam post biennij lapsum audiatur appellans, sicuti *Gl. hic tradit. verb. Impotentiam. Arg. Cap. ex insinuatione. 50. h. tit. vbi Gl. magna ait*, quòd impedimentum Iudicis non nocet causæ, nec partibus præiudicat; sin autem appellans ex proprio facto impeditus fuit, v. g. propter inopiam, aut quia ipse, vel Procurator eius in via captus est, saltem per restitutionem in integrum ipsi subueniendum est, quia id generale est: *quod si per me non stat, mihi imputari non debet*, ait *Gl. finalis hic*.

CAPITVLVM IX.

Meminimus.

PARAPHRASIS.

Si Iudici causa aliqua à Pontifice commissæ sit adiunctâ clausulâ *remota appellatione*, & pars, postquam citatione præuenta fuit, iter arripuit ad Sedem Apostolicam, Iudex delegatus nihilominus procedat, secus est si ante citationem iter arripuit.

SUMMARIUM.

1. Si Reus post legitimam citationem verbo vel facto appellauerit à iudice delegato, cui causa commissæ erat *remota appellatione*, delegatus in causa procedet, non item si ante citationem appellasset.

NOT. vnic. Per citationem legitimam reus præuentus censetur, quo minùs postea appellare possit, seu verbo, seu facto, v. g. iter arripiendo ad superiorem, si is causam commiserat *remotâ appellatione*, sin autem pars nunquam per citationem præuenta, ad sedem Apostolicam personaliter iter arripuit, bonâ fide & sine fraude, interea secura esse debet, vt nihil contra eam

moueri possit, ratio dari debet secundum
Hosiens. Alex. & alios hic. quia tales itinera-
ntes sunt sub protectione sedis Apostoli-
cæ. c. 1. de Cler. peregrinant.

CAPITVLVM X.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Si super incidente quaestione. v. g. exceptio-
ne aliqua appelletur, Iudex à quo super-
fede etiam debet causâ principali, si ea
absque incidente definiri non possit.

SUMMARIVM.

*Si super articulo incidente, seu interlocutoria
appellatum sit, acta etiam super causa
principali sunt rescindenda, si causa con-
nexa sint; non item si articulus causa
principali connexus non sit.*

ADverte quòd exceptio & quaestio inci-
dens interdum sit connexa causæ prin-
cipali, quando hæc, incidente non discussâ,
definiri non potest, vt si in petitorio Iudicio
aut matrimonij obijciatur Iudicem non esse
competentem, vel excommunicatum, vel
opponatur impedimentum consanguinita-
tis; interdum verò exceptio aut quaestio inci-
dens non est connexa causæ principali; quia,
eâ etiam non discussâ, decidi potest. v. g.
vtrum pars litigans propter contumaciam
in expensas condemnanda sit.

Quæritur itaque, si Iudex appellationi
non deferens, eâ non obstante procedat, v-
trum postea justificata appellatione omnia ac-
ta rescindi debeant, etiam causæ principalis,
tametsi tantum fuerit appellatum super in-
terlocutoria. Respondet Pontifex hic, si
super articulo incidente seu interlocutoria
sententia appellatum sit, acta etiam super
causâ principali rescindenda esse, si causæ
connexæ sint; non autem esse rescindenda,
si articulus ille connexus non sit causæ prin-
cipali. Ita *Franc. hic explicat. §. sed adverte
Alexand. n. 22. & 27. contra Gloss. hic. verb.
terminari. Abb. n. 84.*

§. Si autem.

Si pars litigans, antequam sententia profera-
tur, in appellatione prorumpat, quia re-
scriptum sit subreptitium ob falsitatis
suggestionem, sententia differri non de-
bet.

SUMMARIVM.

1. Non obstante appellatione ex causa obre-
ptionis interposita, iudex ad ferendam sen-
tentiam procedere debet.

NOT. vnicum: Si pars litigans appellet
quia exceptio dilatoria, quæ post litis
contestationem opponitur, non recipitur,
Iudex appellatione non obstante, senten-
tiam ferre debet. Pro intellectu,

Adverte quòd exceptio Obreptionis per
suggestionem falsi, aut taciturnitatem veri
dilatoria sit, ideòque ante litis contestatio-
nem proferenda. c. Inter 20. de sent. & re jud.
At verò exceptio falsa, v. g. rescriptum aut
instrumentum esse supposititium, etiam post
litem contestatam, imò post latam senten-
tiam opponi potest. c. Cum venerabilis. 6.
de except.

CAPITVLVM XI.

De Appellationibus.

PARAPHRASIS.

In causis minimis ac leuibus æquè recipien-
da est appellatio, vti in magnis.

SUMMARIVM.

1. Ratio redditur, cur liceat in magnis & par-
uis causis appellare.
2. Extraordinaria iuris remedia que speciali
fauore conceduntur in causa modica lo-
cum non habent; habent autem ordi-
naria.
3. Iure municipali statui potest, ne appelletur
in causis modicis.

Ratio dari debet, Quia appellationis re-
medium conceditur propter iniustitiã,
aut imperitiam Iudicis, ex qua aliquis gra-
vatur.

vatur. *l. i. ff. de appell.* atqui in modica etiam causa, iniustitia & grauamen accedere potest, quamobrem etiam furti actio datur de modica quantitate, cum etiam in re modica ratio furti consistere possit, iuxta ea, quæ dixi in *cap. Cum te. 23. de sent. & rejud.* & habet resolutio huius Cap. non tantum locum secundum jus Canonicum, sed etiam jus ciuile, sicuti constat ex lege *Et in maioribus. 20. Cod. de appellat. & tradit gl. in l. Qui restituere. 68. ff. de rei vendicatione,* quod in quacunque causa appellare licitum sit, nisi specialiter prohibitum reperiat.

Obiicitur. Quod minimorum ratio habenda non sit. *l. Si quis affirmauit. 9. §. merito. & l. seq. ff. de dolo.* vbi dicitur, quod actio de dolo non datur ob causam modicam.

2. Resp. Ex doctrina Bartoli in *l. Si proprietarius. 22. ff. de damno.* quod extraordinaria remedia, quæ speciali iure ac fauore conceduntur, in causa modica locum non habent, tales sunt restitutiones in integrum, quæ Prætoris æquitate aduersus jus ciuile strictum, seu merum conceduntur minoribus natu, Ecclesiis, metum passis, dolo circumuentis; in his, inquam, non curatur de minimis, juxta *l. Scio. 4. ff. de in integrum restitutione.* vbi Bart. ait: quod in his, quæ contra jus commune conceduntur, de minimis non curatur & consentit. *l. Res bona. 54. de contr. emptione.* At verò ordinaria juris remedia etiam in modicis locum habent, juxta *l. 1. §. Illud. ff. de coniungend. cum emancipato liberis eius,* & *l. Quamuis. 13. ff. Vt in possessionem legatorum.*

3. Aduertendum tamen est, quod iure municipalitatis constitui possit, vt ob minimam quantitatem. v. g. duorum florenorum appellatio non concedatur, quo litium aliquis modus sit, & non nimis multiplicentur, Quia hoc maius malum videri potest propter quod vitandum minus, videlicet exiguum damnū rei familiaris sustinendum sit, quamobrem Tutor & multò magis Prælati Ecclesiæ excusatur, & quandoque laudandus est, si propter rem exiguam appellare intermittat. *arg. c. vnic. de Synd.* Quemadmodum etiam excusatur & lauda-

tur, si recuperare negligat rem, ob cuius recuperationem maiores sumptus faciendi essent, quam ea valeat, sicuti Abbas. *hic. nec. n. 5.*

CAPITVLVM XII.

Super eò.

PARAPHRASIS.

Speciato iure Canonico non tantum appellatio permittitur post latam sententiam definitiuam, sed etiam ante eam, si quis se grauati existimat, secus tamen est secundum jus ciuile.

SVMMARIVM.

1. Iure Casareo non conceditur appellatio à sententia interlocutoria. Excipe nisi ea vim definitiuam habeat, aut quam alia definitiuam secutura non sit, vel contineat grauamen, quod per definitiuam reparari non potest.
2. Iure Canonico à quouis grauamine iudiciali appellare concessum est.
3. Rescriptum quoad vim comprehensiuam, etiam quoad habilitatem vel inhabilitatem impetrantis considerari debet secundum tempus datae, quoad personam verò delegati, vel executoris, secundum tempus presentationis.
4. Collatio jurisdictionis & potestatis in delegato, & executore, non habet vim suam, donec ea vtrique presentata sit.
5. Idem est de renouatione concessa talis jurisdictionis.
6. Resoluitur questio, quomodo computandū sint termini temporis, quod alicui rei agenda definitur.

NOT. Vnic. Secundum jus Casareum non conceditur appellatio à sententia interlocutoria, seu quæ est de incidente quæstione *l. penult. c. Quorum appellationes non recipiuntur.* Vbi Bart. excipit, nisi talis sit interlocutoria, quæ vim definitiuam habeat, aut quam alia definitiuam secutura non sit, vt si Iudex pronuntiet, se incomperentē esse, vel si interlocutoria contineat grauamen, quod

per definitiuam reparari non potest. v.g. aliquem esse incarcerandum, torquendum *l. 2. ff. de appell. & videri potest Gail. l. 1. Obseru. 129. Abb. hic. n. 3.* at verò secundum jus Canonicum quod in Ecclesiastico foro seruatur, à quouis grauiamine iudiciali appellare concessum est, vt hìc dicitur & in *c. Non ita, 18. causa. 2. q. 6.*

§. In Causis.

IN Ecclesiasticis causis si appellationis re-
medium non concedatur, neque Iudicis
recusationi locus est. Sed obstat huic §. *cap. postremo. 37. hoc. tit. & plures casus Franc. hic recenset verb. sicut.* in quibus appellare prohibitus Iudicem recusare potest, quare vt iura iuribus consentiant, dicendum est cum *gl. hic. verb. sicut. Alexand. Franc. & alii.* censum §. esse, quòd sicuti appellatio siue iusta causa non recipitur, ita nec recusatio Iudicis.

§. Si autem.

SI causa Iudici delegato commissa sit, vt
eam intra certum tempus desinat, spa-
tium temporis à die præsentationis, seu re-
ceptionis literarum numerari debet.

Hæc est admodum notanda Regula,
quam refert *gl. in c. de causis. 4. de officio dele-
gati, & docet Franc. hic. not. 4.* quòd licet
rescriptum quoad vim comprehensiuam, seu
ea, quæ in rescripto continentur, etiã quoad
habilitatem vel inhabilitatẽ impetrantis con-
siderari debeat secundum tempus datæ. *Si-
eo tempore. de rescriptis. in 6. vt si eo tempore
Clericus non sis, aut legitimam ætatem non
habeas, quo literæ impetratæ seu datæ sunt
ad conferendum sibi beneficium rescriptum
irritum censetur, tamen quod attinet ad
personam delegati, aut executoris, confi-
derari debet in rescripto tempus præsentationis,
quia ex tunc & non ante iurisdictio,
aut potestas ipsi collata censetur, teste Joann.
Andr. n. 3. cum ea acquiri non possit, nisi
scienti, imò etiam acceptanti per legitimam
præsentationem. Quamobrem in impe-
trantis potestate est, postquam literas ad*

Judicem delegatum impetrauit, num & quo
tempore (saltem intra annum) eas præsen-
tare velit, an non præsentare, sed lacerare,
vt docent *DD. cum Innoc. in cap. Ex con-
questione. n. 2. de spoliat.* At verò post præ-
sentationem literarum aduersario volente
cogi potest impetrans ad litigandum, quia
ex eo tempore rescriptum commune est
partis vtriusque, teste Innoc. ibidẽ, vbi etiam
admonet: idem esse sentiendum de priuilegio
quod. v.g. impetrauit solum Capitulum Ec-
clesiæ Metropolitanæ, vt vnã cum Episco-
pis suffraganeis possit eligere Metropolita-
num, antequam eo Capitulum vitur, aut
suffraganeis præsentat, posse illi priuilegio
renuntiare iuxta *l. Si quis. 29. (de pactis.* sed
post vsum, aut post præsentationem non
posse renuntiare cum aliorum præiudicio.

Addit verò *Franc. citato loco.* Idem simi-
liratione dicendum esse de iurisdictione de-
legato vel executori auferenda, quòd vide-
licet reuocatio iurisdictionis, vel potestatis
non censetur vim suam habere, donec ea
delegato Iudici vel executori præsentata sit,
adẽ vt tamen post datas secundas literas
reuocatorias prioris rescripti, aut commis-
sionis, commissarius, antequam eas receperit,
secundum priores literas procedat, ad ea
valida censeri debeant, vt colligitur ex *c. An-
dita 4. de restit. spoliat.* Et quòd eadem do-
ctrina locum habeat in reuocatione priuile-
giorum, docui *l. 1. tract. 4. c. 23. in fine.*

Sed quæstio est, quomodo computandi
sint termini temporis, quod alicui rei agen-
dæ definitur.

Resp. Ante omnia attendendum esse ad
mentem definientis, eique inharendum; in
dubio autem docent *DD.* apud *Joann. Andr. 6
hic in fine cap. Franc. circa gl. 2.* quòd tem-
pus definitum censetur currere de momen-
to in momentum. v.g. intra 30. dies nego-
tium expediatur, intra 10. dies appellatio
fiat, hoc casu etiam eius diei tempus restans,
in qua. v.g. literæ præsentatæ, vel sententia
lata est, numerari debet.

Excipe. Nisi vsurpetur præpositio, à v.g.
intra 30. dies à die receptionis literarum
computandos, tunc computari non debet
ea dies.

ea dies, in qua literæ præsentantur, cum particula A. exclusiua sit secundum *gl. recepta. in c. Statutum. 3. verb. numerandum. de præbendis. in 6.*

Quod verò attinet ad voculam, vsque, sitne exclusiua an inclusiua appositæ termini. v.g. vsque ad Kalend. Novemb. Dicendum, si ex adiunctis verbis, aut circumstantiis, vel ex iurium dispositione certum aliquid colligi non possit, tunc in dilationibus gratiosis & aliis favorabilibus dispositionibus accipiendum esse inclusiue, vt etiam Calendæ comprehendantur, at verò in materia pœnali, vel alia ratione odiosa accipiendam esse exclusiue. v.g. maneat in carcere vsque ad Calendas, tunc ad initium Calendarum liber esse debet. ita docet *Bald. in auth. hoc amplius. n. 24. C. de fideicommiss. Beruachin. in repert. juris vtriusque.*

Veruntamen si dicatur, maneat in carcere vsque ad 6. dies, videtur etiam dies 6. comprehendendi secundum *gloss. in auth. de tempore non soluta pecunia. col. 2. c. 2. verb. vsque ad 10. annos.*

CAPITULUM XIII.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

Clerici querebantur coram Episcopo se vulneratos, aut percussos esse à Diœcesanis, hi autem cum super ea causa citarentur, ad Papam appellarunt, hoc casu ait *Alexand. III.* quòd Episcopus si delictum notorium sit, eos per censuram Ecclesiasticam compellere debeat, vt intra tempus conueniens, appellationem prosequantur; sin autem notorius excessus sit, non obstante ipsorum appellatione, excommunicatos denuntiet, & à fidelibus evitari curet, donec iniuriam passis satisfaciant, & cum literis Episcopi Apostolico conspectui se præsentent.

SUMMARYM.

8. Iudex deferens appellationi terminum præfigere potest citato cum censura, intra

quem prosequatur appellationem, vel coram iudice à quo, respondeat.

2. Diœcesanum percussorem Clerici Ordinarius potest denunciare excommunicatè, & omnibus prohibere communicationem eam illo, etiam sub censura maioris excommunicationis, donec satisfaciat, & absoluat.

3. Citari tamen prius debet, etiam si foret excessus notorius.

4. Citato nullam defensionem, vel exceptionem afferente in casu excessus notorii sine declaratione statim ad executionem procedi potest.

5. Etiam Papa vel Delegatus, aut eius Legatus non absoluit ab excommunicatione Pontificia, nisi præiudicium factum satisfatione parci lasa, saltem per transactionem, aut cautionem.

NOT. I. Si Iudex deferat appellationi, tunc terminum præfigere potest etiam cum censura, quam appellans incurrere debeat sub alternatione, nisi vel intra terminum finitum prosequatur appellationem, vel coram Iudice à quo respondeat, ita *gl. hic. verb. compellans.*

NOT. II. Si quispiam Diœcesanus laicus, vel Clericus, Clericum percusserit, ordinarius loci potest illum denunciare excommunicatum, & omnibus prohibere, ne ipsi communicent, antequam satisfaciat, & absoluat. Riunt verò hic *Ab. n. 4. Franc. n. 5. Alexand. n. 7.* quòd talis prohibitio in casu, quo aliquis iure ipso excommunicationem contraxit, fieri possit sub censura excommunicationis maioris, à quibuscunque contrahenda, si cum excommunicato denunciato communicarint præterquam in casibus iure exceptis: nam indultum à jure beneficium inferior auferre non potest. Veruntamen priusquam Iudex denuntiationem faciat, excommunicatum citare debet, vt in præsentia eius adductis testibus, atque auditis, si quas afferre velit, defensionibus, declaretur excommunicatus & postea si expedire videatur, denuntietur. Interdum verò ob scandalum vitandum publica denuntiatio

tatio intermittere debet, si v. g. illustris persona sit, quæ absolutionem petere & obtinere parata sit.

Sed etsi excessus notorius esse videatur, ideòque judiciali examine atque sententiâ opus non esse, sed solum executione, si condemnatio seu pœna per legem statuta sit, expedit tamen & sæpe necessarium est, delinquentem citari, vt intelligat excessum notorium esse, ideòque statim ad executionem & denuntiationem veniri posse, juxta *Clem. 2. in fin. junct. Gl. verb. Publicare. de pœnis*: nam citatus negare poterit excessum notorium esse, & contra hanc ipsam notorietatis declarationem appellare: quare aiunt *Abb. hic. n. 6. Alex. n. 13.* Tametsi à pœna ipso jure lata appellari non possit, *c. Quia nos. hoc tit. & notavit Gl. in c. Cupientes. 16. S. Quòd si. verb. Expectari. de elect. in 6.* tamen appellari potest à declaratione, quippe quæ non juris est, sed hominis seu Iudicis, quòd incideris in pœnam lege decretam. At verò, si reus citatus nullam defensionem, exceptionemve opponat, & factum notorium sit, tunc declaratione opus non est, sed statim ad executionem procedi potest, vt colligitur *ex c. 3. S. Quòd si forte. de off. ordinar. & docet Dominicus in c. Cùm secundum. S. Confiscationis Not. 3. de haret. in 6.*

5 Not. III. Etiam Summus Pontifex, vel delegatus, aut legatus eius non absoluit ab excommunicatione Pontificia, nisi prius satisfactum sit parti læsæ, saltem per transactionem, aut cautionem. Ita sumitur *ex hoc c. & c. Parochianos. 9. de sent. excommunicationis.*

CAPITVLVM XIV.

Consuluit &c.

PARAPHRASIS.

Si manifestum seu notorium sit, quòd Titius vxorem Caij detineat, aut in Clericum manus violentas iniecerit, appellationi eius deferendum non est; Veruntamen quia multa dicuntur notoria, quæ

non sunt, ideò cauendum est Iudici, ne quod pro dubio habendum est, ipse notorium esse censeat.

SUMMARIUM.

1. Si crimen notorium sit, conceditur appellatio à pœna, qua à iudice decreta est, si eadem excedat.
2. Iudex diligenter inuestigare debet, num crimen notorium sit, alias procedere non potest ad declarationem, vel denuntiationem.

Not. I. Si crimen notorium sit, non conceditur appellatio. Intellige si Iudex procedat secundum pœnam à jure decretam, si autem pœna decreta non sit, ipse decernendo pœnam, modum excedere potest & grauare, ita vt appellationi locus sit.

Not. II. Iudex diligenter inuestigare debet num factum, v. g. Clerici percussio, notorium sit, vt nulla excusatione defendi possit, v. g. à censura contractum; alioquin enim procedere non potest ad declarationem aut denuntiationem, quia fieri potest, vt Laicus Clericum percusserit causâ defensionis, vel in ebrietate, ita vt mortaliter non peccârit.

S. Si Iudex.

Appellationi deferat terminum temporis præfigit, intra quem eam prosequi debeat (seu iter arripiendo seu Apostolos presentando) aut si prosecutus non sit, denuò se sistat Iudici à quo. de hac re dictum est, *precedente. & c. 5. h. tit.*

CAPITVLVM XV.

Suggestum.

PARAPHRASIS.

Titius extrajudicialiter appellauit ad Papam v. g. ne in electione procedatur, Canonici autem tametsi scirent appellatum esse, non venerunt Romam, nec Procuratorem miserunt (cùm ad id nõ tenerentur) sicuti *Abb. hic monet. n. 1.* cùm autem intellèxissent Titium literas impetrâsse ad Iudicem delegatum, ipsi appellant, & iter arripiunt Romam versus, Hoc casu

casu si Iudex delegatus intelligat per fraudem, aut ex malitia id eogisse, vt Titii diligentiam irritam redderent, appellationi eorum deferre non debet, sed ea non obstante causam definire, tamen si enim aliam responsum sit in c. *Meminimus. 9. c. Ad hac. 38. h. tit.* quod delegatus si ante citationem appelletur, ne in causa procedat, superfedere debeat, id tamen cum ad grauamen oppressorum amouendum fuerit constitutum, non debet ad iustitiae depressionem conuerti.

SUMMARIUM.

1. *Causa ob quas remedium appellationis introductum est.*
2. *Ratio legis siue in ea expressa sit, siue prudenter subintellecta, limitat vel ampliat verba legis.*
3. *Quod ob certum finem constitutum est, non debet inseruire ad effectum contrarium.*

Not. I. Causae, ob quas remedium appellationis introductum est, haec sunt: vt grauamen oppressorum remoueatur, vt iniustitia aut imperitia Iudicium corrigatur. Denique, ait *Abb. hic. n. 3.* vt ex propria ignorantia, aut negligentia laesus jus suum consequi possit: nam quae non probata, nec allegata sunt in prima instantia iudicii, ea allegari, aut probari possunt in 2. seu coram Iudice appellationis *l. per hanc. 4. c. de temporibus appell. c. Cum Joann. de fide instrumentorum.* quare accidere potest, vt tamen si sententia formaliter iusta sit, & Iudex recte processerit, tamen ea propter nouas allegationes rescindi debeat.

2 Not. II. Non tantum si ratio legi adiecta sit, ea limitat vel ampliat verba legis, sed etiam si nulla sit causa expressa, appareat tamen vna seu adaequata legis ratio ex iure naturali, tum ad limites eiusdem rationis restringenda & interdum amplianda est lex, ita *Abb. h. n. 2. Franc. not. 1. Alex. n. 3. ex Buld. in l. Non dubium. C. de legibus.* nam ratio, siue ea in lege expressa sit, siue prudenter subintellecta, est veluti anima seu direatrix legis: prout docui *l. 1. tract. 4. c. 18. n. 4.*

3 Not. III. Quod lege constitutum est ob certum finem, non debet ad effectum contrarium inseruire. Ita *gl. hic. verb. remouendum.* Hac ratione dicitur in c. *Licet. 6. dist. 45.* quod prouisum est ad concordiam, non debet tendere ad noxam, & in *l. vl. C. de usucapione pro emptore.* quod pupillus iuris fauorem sibi concessum ad iniquum compendium trahere non debet, & similiter in c. *Quod nonnullis. 25. de priuilegiis.* quod priuilegium iuris ad iniquum dispendium tendere non debet. in c. *Nonnulli. 28. de rescript. juncta gl. verb. iuris obseruantia.* quod inde iniuriae oriri non debent, vnde iura nascuntur.

CAPITVLVM XVI.

Ad praesentiam.

PARAPHRASIS.

R. Presbyter a sententia Eboracensis Archi-Episcopi appellauit ad Papam, eo tamen non obstante, Archi-Episcopus illum excommunicauit; ea propter R. questus est apud Alexand. III. qui causam Iudicibus delegauit: hi dictum R. tamen si de iure excommunicatus non esset, tamen absolui curarunt: hic vero Papa rescribit Archi-Episcopo, quod dicto R. questionem mouere non debeat, quia diuina celebrat in excommunicatione ipsi illata post appellationem interpositam, sed ad eum statum omnia reducat, in quo erant tempore emissae appellationis.

SUMMARIUM.

1. *Excommunicatio lata a iudice post legitimam appellationem irrita est.*
2. *Celebrans post excommunicationem vel suspensionem ab officio, qua ipso iure irrita est, non debet censeri irregularis. Potest tamen talis absolutionem petere ad cautelam.*
3. *Cautela in tali casu pro Ordinario.*
4. *Iudex delegatus potest absolvere excommunicatum ad cautelam, vt possit in iudicio contendere.*

Not.

1 **Not. I.** Excommunicatio lata à Iudice post appellationem legitimam, irrita est. *c. Pertuas. 40. §. Nos igitur. de sent. excommunicat.* nam qui appellat legitimè, contumax censeri non potest, consequenter nec excommunicari, si tamen Iudex ad quem appellationem friuolam fuisse iudicabit, tunc excommunicatio lata post appellationem, cui Iudex, à quo non derulit, valida reputabitur, quia ut *Abb. ait in c. Pastor. 53. §. Verum. n. 14. h. tit. Sayr. in Thesaur. l. 1. c. 6. n. 27.* appellatio friuola non suspendit jurisdictionem Iudicis.

2 **Not. II.** Si quis celebret post excommunicationem aut suspensionem ab officio, quæ ipso jure irrita est, non debet censeri irregularis; nihilominus talis, si velit, potest absolutionem petere ad cautelam; Adde quod hic obseruat *Alexand. n. 12.* Tamen si is, qui absolutè petit se absolui, fateatur se ligatum, *c. Venerabilem. 33. de electione.* secus tamen esse dicendum de eo, qui se petit absolui ad cautelam.

3 **Corollarium.** Ordinarius efficacius procedere poterit contra delinquentem, si commissio crimini reperiat censuram ipso jure decretam, tunc enim citato & audito reo declarare potest eum censura ligatum, idè que prohibere illi, ne celebret, donec absolvatur: nam tamen si reus à sententia hac declaratoria appellet, tamen reuera irregularis censebitur, si postea iudicatum fuerit, bene declaratum, & non rectè appellatum fuisse, quia appellatio interposita non potest suspendere sententiam seu pœnam à jure inflictam, ut supra dixi *in c. Peruenit. 83. h. tit.*

4 **Not. III.** Iudex delegatus potest absolvere excommunicatum ad cautelam, ut possit in iudicio contendere, ita *Abb. hic Franc. & alij argumento. c. Prudentiam. 21. de off. delegati.* Vbi dicitur: quòd is, cui causa principalis commissa est, etiam in accessoriis jurisdictionem exercere possit.

CAPITVLVM XVII. Cùm teneamur.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Cantuariens, quæsiuit ex A-

lexand. III. si quispiam à sua sententia appellauit ad Pontificem & postea eiusdem appellantis possessio. v. g. ædium, circa quas Controuersia versatur, turbata sit ab aliquo, num se junctâ causâ appellationis, turbatam possessionem reformare liceat Archiepiscopo.

Respondet Papa, id ipsi licere seruato ordine iudiciario, si talis ad ipsum querela deferatur.

SYMMARIVM.

1. Iudex à quo in iudicio possessorio appellatum est, pendente appellatione cognoscere potest de querela infestata possessionis.
2. Possessor condemnatus ad possessionem A-
lteri tradendam, si à sententia appellauit, & pendente appellatione spoliatur aut turbatur, agere potest interdicto recuperanda vel retinenda possessionis apud iudicem à quo.
3. Iudex à quo. inhibere potest partibus, ne quid lite pendente immutent, & male attentata ab illis, vel à seruocare.

Not. vnic. Iudex à quo (in iudicio possessorio) appellatum est, pendente appellatione cognoscere potest, de querela infestata possessionis.

In primis adverte, quòd pendente appellatione nil debet immutari, consequenter is, qui antea in possessione erat, eâ uti possit, ac fructus, pendente appellationis causâ, percipere, sicuti priùs secundum *Gl. in c. Sep. 44. verb. rata. h. r.* vbi ait: quòd Prælatus ab Episcopo depositus per sententiam, si ab ea appellauit, interim jurisdictionem exercere possit. v. g. subditum excommunicare, quia condemnatus, pendente appellatione, non censetur condemnatus. *l. 2. §. vlt. ff. de pœn.* Si tamen in tali casu suspicio subsit, ne redditus Ecclesiæ, aut res, de qua lis est, interim dilapidetur, tunc sequestratio imperari potest. *l. Imperatores. 21. in fine. ff. de appel. & notauit Gail. l. 1. obseru. 148. n. 2.* ne alioquin iudicium illusorium fiat, & excommunicatio sententiæ impediatur.

Hinc itaque existit, quòd possessor con-

demnatus ad possessionem Actori tradendam, si à sententia appellauit & pendente appellatione spoliatur, aut turbatur, quòd agere possit interdictò recuperandæ, aut retinendæ possessionis. Sed nunquid agere potest apud Iudicem, à quo hæc est quæstio huius Capituli.

Ad quam Pontifex respondet affirmatiuè. Sed causam responsionis non adfert, putamus hanc esse, quia pendente appellatione iurisdictione Iudicis tum ordinarij, tum delegati quoad istam causam non est omnino extincta, sed suspensa, quare Iudex à quo præfigit terminum appellanti. *c. Consuluit. l. 4. h. 2.* & Ordinarius appellanti in causa matrimonij sub censura prohibet, ne alteri nubat, *c. 2. De matrim. contracto.* Ratio huius est, quia pendente appellatione nihil mutari debet. *l. 1. ff. in h. nouari &c.* & hoc ipsum providere, pertinet ad Iudicem à quo, vt videlicet appellationis liberior via & exitus permaneat, si in eodem statu conualescant, donec causa appellationis decisa sit, vt hic notat *Abb. & Alex. n. 9. Franc. not. 2.* vbi addunt, quòd inhibitiò, quæ fit à lege aut Iudice ad quem, ne Iudex à quo, pendente appellatione aliquid attentet, intelligi debeat de ijs tantum, quæ appellationis causam eiusq; liberum cursum impediunt, non autem quæ adiuuant seu ad faciliorem eius exitum tendunt, dummodò se ipsi causæ appellationis secundum se non immisceant.

Corollarium. Iudex à quo, tum Ordinarius tum delegatus inhibere potest partibus, ne quidpiam attentent seu immutent appellatione pendente, atque super attentatis ordine iudiciario summarie cognoscere, & quæ malè attentata sunt, seu mutata reuocare, secundum *Gl. in Clem. 2. verb. cum lite, tit. vt lite pendente &c.*

Adde quòd etiam Iudex, si quæ pendente appellatione mutauit vel attentauit, ea reuocare possit, vt hic notat *Franc. prope finem.*

CAPITVLVM XVIII.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Si quis generaliter appellet super omni gra-

vamine, quod sibi inferri posset, non valet appellatio; secus si generaliter appellet super omni grauamine, quòd in certa causa inferendum esse timet,

SUMMARIUM.

1. *Grauatatus in vno articulo, potest generaliter appellare à quocunque grauamine sibi in hac causa inferendo.*
2. *Quem effectum habeat talis appellatio.*

NOT. vnicum. Qui in vno articulo. v.g. super dilationibus aut super expensis grauatur, potest generaliter appellare à quocunque grauamine ipsi in hac causa inferendo, ita vt tota ad superiorem devoluatur. Talis autem appellatio id efficit, vt tamen Iudex à quo ipsi non deferat, tamen iurisdictione eius adeò suspensa censetur, quoad totam causam, vt justificata appellatione, omnia acta & attentata circa eandem causam, etsi articuli separati sint, seu non connexi, rescindi debeant, sicuti hic docet *Alexand. in princip.* & videri possunt, quæ dixi in *cap. Super eo. 10. hoc tit.*

CAPITVLVM XIX.

Cùm parati &c.

PARAPHRASIS.

Zamorensis electus Episcopus petitiones quasdam Alex. III. proposuit, quas cum Papa recipere vellet, Cardinalis Legatus Apostolicæ Sedis obiecit, eundem electum, cum à Sede ad Synodum vocatus accedere contempsisset, se excommunicasse, ipsum autem excommunicatum in Episcopum se consecrari curasse. Verum Canonicus quidam excusauit Episcopum, testando, quòd eo tempore in legatione Regis fuisset, & impeditus, quo minus accederet; Cardinalis contra allegauit, quòd Nuntius suus eum in Salamitana Ecclesia, non in Regis legatione repererit. Vterius proposuit Episcopus, quòd antelatum excommunicationem appellaret ad Pontificem, sed *Alexand. III.* respondet

uuu hic,

hic, quod, non obstante appellatione, Episcopus ad Legatum Cardinalem venire debuisset post citationem, quare mandat eidem Episcopo, ut ad Sedem Apostolicam accedens, innocentiam suam, si possit, melius demonstret.

S Y M M A R I V M.

1. Excommunicatus repelli potest etiam ab extrajudicialibus petitionibus, & quilibet se ei opponere potest, licet aliis ipsius non interfit.
2. Grauaturs à Superiore potest etiam in absentia eius, vocatis honestis viris appellare, si quidem accedere nec per se, nec per Procuratorem possit.
3. Si duo Superiores sibi subiectum citent, vtri eorum se sistere debeat subditus.
4. Nuntio publico & jurato citanti fides habenda etiam sine literis & testimonio.
5. Limitatur predicta doctrina.
6. Extra iudicium si citatus citanti nuntio respondeat se non compariturum, per hoc non constituitur contumax: secus est, si id fiat in iudicio.

NOT. I. Excommunicatus repelli potest etiam ab extrajudicialibus petitionibus, ut si privilegium, vel indulgentiam petat. *cap. 2. junct. Gl. verb. communibus. de exceptionibus in 6. & quilibet seu extrajudicium seu intra iudicium agenti aut quidpiam petenti in commodum suum, opponere se potest, obijciendo excommunicationem, tametsi alioquin ipsius non interfit: nam Regula illa, quod opponens in iudicio non audiatur, si eius non interfit. l. Sin autem. 27. §. si homo. ff. de rei vindicatione. c. Cum inter 16. de elect. locum non habet, si Iudex ex officio, etiam adversario, vel eius, cuius interest, non petente, supplere possit vel debeat. v. g. excommunicatum repellendo, tunc quilibet eum adiuvari, seu ad officium eius excitare potest, sicuti hic notat *Abb. n. 2.**

NOT. II. Qui à Superiore grauaturs, potest etiam in absentia eius vocatis viris honestis appellare. Ita ut gesta post appellationem. v. g. excommunicatio lata vigorem

non habeat, sicuti tradit hic *Abb. n. 16.* sed intelligi id debet, si pars impedita sit, quominus ad superiorem venire possit, alioquin verò accedere debet, per se vel per Procuratorem, & grauaminis causam afferre. v. g. in proposito casu se iuste impeditum esse, quominus ad Synodum venire possit, & si non audiatur, sed excommunicatio inferenda proponatur, coram appellare. ita colligitur ex text. & tradit *glossa finalis hic.*

Occasione Textus, Quæritur 1. Num sit justa excusatio, si Episcopus ab Archiepiscopo, vel Decanus ab Episcopo suo citetur, & citatus dicat, se à Principe sæculari, à quo regalia obtinet vocatum, vel occupatum esse.

Respondeo ex doctrina *Gl. hic. verb. In legatione innocentia. & Host. hic. Abb. n. 7.* Si duo Superiores sibi subiectum citent seu aduocent, isque ad vtrumque per se vel per alium, uti oporteret, venire non possit, tunc plura consideranda esse: videlicet, erga quem priorem obligationem contraxerit, & quis prior vocarit, seu præoccuparit. Item vter eorum dignior sit, & maiore causa seu necessitate vocandi innitatur. Ex quibus apparet, quod absolute loquendo Papæ potius Episcopus, quam Regi, aut Cæsari vocanti se sistere debeat, propter prærogatiuam Sedis Apostolicæ, & quia iuramentum atque obligatio, quâ Prælati Pontifici obstringitur, prius edita ac firmior est, quam iuramentum fidelitatis præstitum Principi sæculari, & ideo istud intelligi debet saluo jure & prærogatiua Sedis Apostolicæ, qua simili ratione, ait *Bald. in specul. l. 4. p. 3. tit. de feud. §. 2. q. 12.* Quod Vasallus habens duos Dominos non subordinatos, si ab vtroque ad bellum vocetur, & vtrique succurrere non possit, cum potius iuvare debet, à quo prius feudum accepit: Quemadmodum & Canonicus à duobus Episcopis vocatus coram eo comparere potius debet, à quo beneficium prius accepit, quia obligatio posterius præstita intelligitur saluo jure prioris, teste *Alexand. hic. num. 36.*

Considerandum quoque est, quisnam prius

prius citauerit, si enim citatio seu vocatio Principis præcessit, & personam præoccupauit, tum fortius constringit. *Arg. c. Si Episcopus. 13. dist. 18.* nisi Summ. Pontifex vocet, & causam habeat (quod & in dubio præsumitur, si res ipsi cognita sit) abstrahendi ab obsequio Principis, at verò, si iusta causa seu necessitas non adsit, non potest Papa vocare personam Ecclesiasticam à seruitio debito, v. g. Regi aut Imperatori, ratione præstiti iuramenti ac fidelitatis, sicuti docet *Abb. hic. n. 9. Alex. n. 76. argumento Clement. Past. de vel. jud. c. Nouit. 13. De iud. & videri potest Innoc. in c. Inquisition. n. 3. & 4. de sent. excomm.*

4. Queritur 2. An nuntio citanti vel referenti credendum sit sine aliis literis aut testimonio?

R. Ex doctrina *Barth. in l. Palatin. C. de locatione feudorum. l. 10. Alex. hic. 45.* quod nuntio publico & iurato citanti fides habenda sit etiam sine literis.

5. Excipe 1. Nisi consuetum sit, vt literæ citatoriae nuntio dentur, & sine iis citatio non fiat.

2. Nisi citatio fiat extra territorium citantis, cum in eoloco nuntius non habeatur pro publico officiali.

3. Nisi velit citare realiter siue per capturam, tunc fides ei habenda non est, nisi literis ostensis. *Arg. l. Prohibitum. 5. C. de iure fisci. l. 10.*

R. 2. Nuntio affirmanti se citasse, si publicus & iuratus sit, potius credendum est, quam parti neganti, vti colligitur ex *hoc c. & tradit Gl. verb. Suis Nuntius.* Idq; propter publicum, quod gerit officium.

Excipe 1. Nisi præsumptio sit contra, quia est persona vilis, & pars, quæ neget se citatam, est in dignitate constituta.

Excipe 2. Nisi aliquid nuntius asserat, quod sit extra officium ipsi commissum; ut si iudici referat, se à citato verberatum, aut verbis male acceptum fuisse, vti notat *Menoch. in arbit. Cas. 112. num. 12.* qui tamen bene monet etiam in his Iudicis arbitrium interponendum, vt consideratis circumstantiis definiat, num fides adhibenda nun-

tio sit, nec ne; siquidem ea quoque, quæ diximus quodammodo ad Nuntij officium spectant, sicuti si referat, citatum respondisse, se nolle venire. Quandoquidem nuntius publicus non ad id solum constitutus videtur, vt citationem faciat, sed etiam vt iudici responsum ferat, quid in causa citationis gestum sit.

Veruntamen per eiusmodi actum, aut sermonem extra iudicium prolatum, quod comparere nolit, non constituitur aliquis contumax. secundum *Gl. Receptam. in c. Venerabilibus. 7. §. Porrò. verb. In iudicio. de sent. excomm. in 6.* partim quia assertio nuntij non facit plenam fidem seu probationem, partim quia talis sermo ex calore iracundiæ profectus, obesse non debet, nisi in eo perseueretur, sicut *Gl. inc. Ex literis. 5. verb. Admonita. de diuortiiis,* docet de confess. extraiudiciali. quæ ex iracundia fit, quod non præiudicet, si autem in iudicio quis dicat se non pariturum, tum contumacia eius notoria reputatur, *cit. §. Porrò.*

CAPITVLVM XX.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Titius excommunicatus priusquam absolueretur, jurare debuit, quod mandatis Ecclesiæ stare vellet, postea verò nihilominus appellauit, hoc casu cogendus est, vt vel iuramentum seruet parendo Ecclesiæ mandatis, vel intra dies 40. iter arripiat ad prosequendam appellationem.

SUMMARIVM.

1. Jurans se pariturum mandatis Ecclesiæ, non obstante iuramento, à sententia & præcepto, quo se iniuste grauari putat, appellare potest.
2. Et id quidem verum est, licet iurauerit se staturum sententia, quomodocunque aut qualitercunque prolata sit.

Notand. vnic. Qui iurauit se pariturum mandatis Ecclesiæ, eo non obstante à

uuu 2 sen-

sententia & præcepto, quo se iniuste gravari putat, appellare potest, sicuti ei communi jure concessum. Ita etiam docet *gl. in cap. Quod bene. causa. 6. q. 4.* quod is, qui juravit se pariturum Iudicis sententiæ, nihilominus possit appellare. Ratio est, quia juramentum præstitum circa materiam juris & justitiæ interpretandum est secundum limites juris aut justitiæ, ut si sensus sit se pariturum sententiæ aut mandatis, si justa sint, vel quatenus jura exigunt, sicuti latius dixi. *l. 4. tr. 3. c. 9. n. 2.*

Adde, id verum etiam esse, tamen si aliquis jurarit, se statutum sententiæ, quomodo cunque aut qualitercunque prolata sit, secundum doctrinam *Petri Anchar. Dominici, & Franci. inc. 2. de præbendis in 6.* quod verba generalia etsi dicto modo geminata sint, nunquam inducât specialem expressionem, ubi ea requiritur; at verò appellationi non censi renuntiatum, nisi id specialiter exprimat, docent *DD. communiter ex l. ult. §. ult. C. de temporibus appellationum.* Quamvis contrarium huius sentiat *Alexand. hic. n. 11. post Bald. in l. Tale pactum. §. qui procuravit. ff. de pact.*

CAPITVLVM XXI

Quæstioni

PARAPHRASIS.

Titius ob Clerici percussione, vel quod alienam vxorem detineret, excommunicatione iuris, aut hominis incurrit, postea cum absolendus esset, juravit se mandatis Ecclesiæ pariturum, sed priusquam mandatum acciperet, vel post acceptum mandatum, subterfugij causâ appellavit, quæ situm est, num appellationi eius esset deferendum.

Resp. *Alexand. III.* Non esse appellationi deferendum, quæ juramento eius præiudicet, sed in eandem, à qua absolutus erat, excommunicationem reducendum, neque iterum absolendum, donec mandatum susceperit. & illud, quatenus ipsi possibile est, executus fuerit.

S V M M A R I V M.

1. Referuntur duæ causæ, ob quas ante absolutionem ab excommunicatione exiguntur solent & debeat juramentum de parendo Ecclesiæ mandatis.
2. Appellationi contraria, præstito prius juramento de parendo Ecclesiæ mandatis, non est deferendum.
3. Post hoc juramentum absolutus ab excommunicatione, si parere postea recusat, non reincident ipso jure in excommunicationem, sed per sententiam, si contumax sit, in eam reducendus est.
4. Reincident etiam ipso jure, si reincidentia jure decreta sit.
5. Post absolutionem contumax in parendo, vel satisfaciendo, ideoque iterum excommunicatus, absolutionem difficilius obtinere debet.

NOT. I. Ante absolutionem ab excommunicatione secundum consuetudinem Ecclesiarum exiguntur debet juramentum parendi Ecclesiæ mandatis. *c. Cum desideras. 13. de sent. excommunicationis,* idque ob duas causas. 1. est, si crimen, ob quod excommunicatio contracta est, secundum se enorme, aut valde perniciosum sit, tñ exigitur juramentum, vel in foro conscientie simplex permissio, aut fidei suæ interpositio, quod reus in posterum à tali crimine abstinere velit. Sicut docui *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 8.*

Altera est, si criminis effectus & obligationes nondum omnino sublata sint, interdum absoluitur reus præstito prius in externo foro juramento, quod mandatum Ecclesiæ seu Iudicis Ecclesiastici super ea causa suscipere & supplere velit, v. g. sistere se Iudici & respondere ad interrogata, si ob contumaciam excommunicatus fuit, ut hinc apparet.

NOT. II. Appellationi, quæ est contraria juramento prius præstito, de parendo mandatis Ecclesiæ, deferendum non est, & hoc est discrimen inter huius & præcedentis Capituli decisionem, nam ex priori admittitur appellatio à gravamine sententiæ iniustæ, cum ea appellatio non sit contra juramen-

ramentum, quippe quod solum se extendebat ad sententias & mandata iusta, at verò in casu huius Capituli appellatio repugnat juramento, si videlicet absolutus appellet, priusquam audiat mandatum, vel si contra mandatum impositum friuolè & subterfugij causâ appellet, cum enim appellatio inventa sit vt subsidium innocentie, ideò fieri non debet præsidium periurij & iniquitatis, iuxta capitulum sequens.

3 Not. III. Si quis jurarit se pariturum mandatis Ecclesiæ, & ideò absolutus fuerit, postea verò parere recuset, non recidit ipso jure in excommunicationem priorem, sed à Iudice, si contumax esse videatur, in eandem excommunicationem per sententiam reducendus est.

4 Excipe nisi talis reincidentia ipso jure decreta sit, vt in *c. Eos. 2. de sent. excomm. in 6.* Et notat *Franc. hic n. 3.*

5 Not. IV. Qui post absolutionem contumax est in parendo vel satisfaciendo, ac proinde iterum excommunicatur, is absolutionem difficilius obtinere debet: non enim satis est, hoc casu ipsum permittere aut jurare, vel simplicem cautionem afferre, quod Ecclesiæ parere vel satisfacere velit, cum sit præsumptio contra ipsum propter præcedentem prævaricationem & periuriū, vel fidei violationem, quare exigitur, vt prius mandatum Ecclesiæ recipiat, & secundum possibilitatem exequatur, quam absoluetur, ita hic & in *cap. Significavit. C. de off. ordin. & notat hic Alex. & Fran. n. 4. aliq. communiter.*

CAPITVLVM XXII.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Caius Clericus super aliqua causa ad iudicium tractus ab Episcopo suo, appellauit ad Sedem Apostolicam, & postea graua commisit scelera, cumque super his coram eodem Ordinario suo conueniretur, exceptione appellationis se tueri volebat. Ad hoc Respondit Alexand. III. quod

eum appellatio in sua iniquitate tueri non debeat, quominus excessus eius per canonicam censuram puniri debeant.

PARAPHRASIS.

1. Appellatio non suspendit jurisdictionem iudicis, nisi in causa, super qua interposita est, licet delicta non sint graua & enormia, sintque commissa etiam ante appellationem & non tantum post eam.

Not. Vnic. Appellatio non suspendit jurisdictionem iudicis à quo, nisi in causa super qua interposita est, Consentit, Capitulum *Super. 10. cap. Cum teneamur. 17. hoc tit.* Porro hic sermo est de grauibus criminibus & commissis post appellationem, quia casus iste propositus erat Pontifici. Ratio autem, quæ datur in Responsione, quia appellatio non debeat aliquem defendere in sua iniquitate, ita vt puniri non debeat, hæc, inquam, ratio locum etiam habet si delicta graua seu enormia non sint & commissa ante appellationem, vt nihilominus ab ea quispiam accusari aut puniri possit, vt dicetur in *e. 24. h. t.*

CAPITVLVM XXIII.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Torcellana cum Canonici ad Episcopi electionem conuenissent, Archi-Diaconus nominauit C. contra quem mox obiectum, quod esset excommunicatus, & ideò appellatum, ne eligeretur: eo non obstante, Archi-Diaconus & pauci quidam alii eundem C. eligere perrexerunt, & ne contra aliquid attentaretur, ad sedem Romanam appellarunt. Nihilominus verò Primicerius cum Canonicis, & Plebanus cum assensu Cleri, vel maioris & sanioris eius partis I. elegerunt in Episcopum. Hæc Controuersia cum Alexandro. III. per Abbatem S. Felicis & Presbyt. R. proposita fuisset; Respondit ipse, si Archi-Diaconus, vt

narratur, prius factæ appellationi non detulit, non obstante appellatione, eiusdem electionem postea factam ex maioris partis consensu, de I. Apostolicâ authoritate confirmandam esse.

S V M M A R I V M.

1. Abbas in alia quàm Monasterii causa, potest esse procurator.
2. Ex hoc verum est, si non vertatur in ea causa utilitas Monasterii, sufficit Ecclesiastica gravis, vel publica.
3. Quin opinio est non paucorum, quod aduocatus & Procuratoris munus Clericis & Religiosis vniuersim, & ex officio seu ordinarietantum prohibitum sit, non item in vna aliqua causa etiam civili, & coram iudice civili. Contrarium tamen, sacris Canonibus conformius est.
4. Non teneris deferre appellationi eius, qui in eadem causa noluit deferre tua.
5. Electio, qua ipso iure nulla est, non impedit, quin alia canonica electio fiat.

Not. I. Abbas in aliorum causa ad Monasterium eius per se ac principaliter non pertinente potest esse Procurator. Ita tradit *gl. c. de presentium. 20. causa. 16. q. 1. Franc. hic Alexand. in princip. vbi aiunt: quod Abbas aut Præpositus sine licentia Conuentus possit esse Aduocatus, Procurator, negotiorum gestor, arbiter, & Iudex, quia ipse non pendet à Monachis, sicuti Monachi ab ipso.*

2 Sed nunquid requiritur, vt utilitas Monasterii vertatur in causa, in qua Abbas Procuratoris, vel Aduocati munere fungitur in iudicio? videtur affirmandum, ex *c. 2. de postulando & c. Monachi. causa. 16. q. 1.* vbi duo requiruntur, vt Religiosus Procurator vel Aduocatus in iudicio esse possit, videlicet utilitas Monasterii & consensus Abbatum, tamen si ergo Abbas vt Procurator vel Aduocatus esse possit, alio consensu non indigeat, tamen altera conditio, quæ est de Monasterii utilitate etiam in ipso exigitur, & ita docet *Sanch. l. 6. Mor. c. 15. n. 18.*

Nihilominus probabiliter dicitur argu-

mento huius text. quod Abbas, id est, Ordinis Prælati in causa Ecclesiastica, si grauis sit, seu pertinens ad publicam utilitatem, v. g. elect. Episcopi, spectato communi iure possit esse Aduocatus vel Procurator in iudicio Ecclesiastico, sicuti hic docet *Abb. not. 1.*

Imò non pauci existimant, vt *Innoc. in c. unico. de obligat. ad ratiocinia. Felin. in c. 1. n. 12. de sent. & rejud. Alex. hic. n. 5. Franc. not. 1.* Quando Clericis & Religiosis prohibetur Procuratoris vel Aduocati munus, id intelligendum esse, quod vniuersim & ex officio seu ordinariè aduocare vel postulare non possint, quamuis possint in vna aliqua causa etiam civili & coram Iudice Civili tale munus obire, contrarium tamen huius sacris Canonibus conformius est teste Syluestro. *verb. aduocatus. q. 7. Tabiena. n. 8. & docuil. 4. tr. 5. c. 11. n. 1.*

Not. II. Non cogaris deferre appellationi eius, qui in eadem causa seu negotio noluit deferre appellationi tuæ. Habetur clariùs in *c. An sit. 42. hoc tit.*

Not. III. Electio, quæ ipso iure nulla est, impedire nõ potest, quin alia Canonica electio fiat; quod enim nullum est, id nullum esse & tum parit, iuxta *Regul. 52. in 6. non præstat impedimentum*, quod de iure non sortitur effectum, vbi videri potest *Dynus & Alex. hic. n. 11.* quapropter *Bald. in l. Non dubium. C. de legibus.* ait: si statuto impositum sit tributum. v. g. emptionis contractui, intelligendum esse de contractu valido tantum. Era tautem electio irrita ex tribus causis. videlicet, quia facta est à minore parte capituli; & de excommunicato; contra appellationem extraiudicialem, ita *gl. hic verb. non obstante.*

CAPITULUM XXIV.

Proposuit.

P A R A P H R A S I S.

Tamen si is, qui à Iudice appellat super vna causa, in aliis causis coram eodem respondere teneatur, tamen Iudex cum sit appellanti suspectus, non debet eum cogere,

gere, si respondere recuset, præterquam de crimine graui & manifesto, ob quod ipso facto damnatus videatur.

Not. I. Appellatio non suspendit, jurisdictionem Iudicis nisi in causa, in qua appellatur, potest tamen in alia causa recusari Iudex vt suspectus, si suspicio allegetur & coram arbitrariis probetur, quia videlicet in priori causa grauabit & ideo periculum fit, quia etiam in hac grauabit, c. *Ad hoc. 6. h. t.*

Not. II. Sicuti in facto notorio non conceditur appellatio, ita nec Iudicis recusatio, verum exceptio Iudicis incompetens, etiam in causa delicti notorii admitti debet, sicut *Franc. hic docet n. 5.* & vide quæ dixi in c. *Peruenit. 13. hoc tit.*

CAPITVLVM XXV.

Quâ fronte.

PARAPHRASIS.

In primis Alex. III. reprehendit Archiepiscopum Cantuariens. quod juris ordinem peruertens, non in Ecclesia, sicut honestum & Canonicum est, nec in palatio, aut Camera sua, sed in Regis Camera contra juris præscriptum & officii Pontificalis dignitatē, Episcoporum electiones confirmat, nihilominus respondet ipsi ad interrogationem: quod si quis ob contumaciam, aliamue causam excommunicationis vel interdicti vinculo obstrictus sit, offerat verò se ad parendum iustis Ecclesiæ mandatis, Iudex eum, ne in excommunicatione decedat, absolvere poterit, tamen si Aduersarius contradicat, & ne id fiat, appellet, ab illo tamen priusquam absoluat, sufficiens cautio recipi debet, vt vel in præsentia Papæ (si is, contra quem appellatur, consensum dederit) vel coram Iudice, cui is causam delegarit, juris æquitati se submittere & parere velit. Idem quoque dicendum in casu, si quis se irrationabiliter excommunicatum aut interdicto subiectum esse dicat, sed nihilominus promittat & ca-

ueat de parèdo juri, quod absolui debeat à superiore. v. g. Archi Episcopo, tamen si Episcopus. v. g. qui excommunicauit, relucetetur & appellet.

SVMMA RIVM.

1. Confirmatio Prælati fieri potest in Ecclesia, vel palatio aut Camera confirmantis Ecclesiastici superioris, non autem in curia, vel palatio Principis secularis, quamuis si hic fieret, confirmatio vel electio non foret irrita, sed irritari posset.
2. Processus iudicii secularis in Ecclesia institutus irritus est, non autem causa Ecclesiastica.
3. Excommunicatio ab homine interdum infligitur ob solam contumaciam, interdum verò ob crimen, in quo contumaciter perseuerat.
4. Excommunicato appellante ad Sedem Apostolicam, appellatione non obstante, potest a Iudice peti absolutio, & debet ab eo conferri, contradicente etiam aduersario, salua interim causa appellationis, & præstata prius cautione.
5. Si excommunicatus vel interdictus à Prælato inferiore v. g. Episcopo ex officio procedente, querelam deferat ad Superiorem tanquam grauatus, absolui is debet, præstata cautione, non obstante contradictione Episcopi, & appellatione eius ad Pontificem.

Not. I. Confirmatio Prælati fieri potest in Ecclesia vel Palatio aut Camera confirmantis Ecclesiastici superioris, non autem in Curia aut Palatio Principis secularis, idemque eadem ratione intelligi debet de aliis causis Ecclesiasticis.

Rectè tamen monet hinc Innoc. quod electio aut confirmatio Prælati contra juris ordinem facta in domo Principis secularis, ex hoc tantum cap. non sit irrita, cum id jure expressum non sit, quamuis irritari possit tanquam contra Canones facta, sicuti de electione dixi in *D. de Prælatibus Ecclesiasticis. q. 33. argum. c. Quamquam. 18. de elect. in 6.*

Porro, licet confirmatio Prælati in Ecclesia rectè fiat, si tamen appareat contradic-

tor,

tor, ita vt iudicialis agitata sit, decet magis, vt in confirmatoris Palatio, aut Confistorio contendatur, non in Ecclesia, quæ domus orationis est, non iurgiorum, vt hîc notauit *Alex. n. 4.* Nec obstat *c. vlt. 2. q. 2.* nam puto *gl.* esse deceptam ibi, cùm nomine Ecclesiæ intelligit locum sacrum: nam ex sequentibus verbis *vbi testes essent singulorum*, satis colligitur, sermonem esse de Congregatione fidelium. Hoc tamen discrimen est, quòd Iudicii secularis processus in Ecclesia institutus irritus sit, non autem processus causæ Ecclesiasticæ. *c. 2. iuncta gl. verb. processus de immunit. Eccles. in 6.*

Not. II. Excommunicatio ab homine seu Iudice interdum infligitur ob solam contumaciam, quia v. g. citatus comparere non vult, interdum verò ob crimen, in quo contumaciter perseverat. v. g. Clericus concubinam dimittere recusans. Ita *Alex. hîc. n. 30.* & videri potest. *gl. in c. duo sunt. 10. dist. 96. verb. videbatur.* vbi eleganter ait: tametsi parua culpa non sit sufficiens causa excommunicationis, si tamen accedat contumacia, sufficientem adesse causam; quælibet contumacia, inquit, digna est excommunicatione, imò tantò maior videtur esse contumacia, quanto ex re minore consurgit.

Not. III. Si excommunicatus appellârit ad Sedem Apostolicam, & Iudex detulerit appellationi, hoc non obstante ab eod. Iudice peti potest absolutio, salua appellationis causa, eamque absolutionem præstita prius cautione (sicut in textu dicitur) Iudex conferre debet, tametsi Aduersarius contradicat. Ita explicat hîc *Innoc. Joan. Andr. n. 3. Imol. n. 4.* Ratio est, partim, quia ex vna parte per hanc absolutionem cursus appellationis nequaquam impeditur, sicuti docent DD. in *c. Question. 21.* vbi *Alex. n. 16. hoc lit.* partim, quia necessitas excommunicati id postulat, ne, priusquam appellationis causam prosequatur, in excommunicatione decedat, idemque sentiendum est de personalis interdicti censura, cùm etiam ea mortuum priuet sacre sepulturæ beneficio, vt docuit *l. 1. n. 5. p. 4. c. 2.* non item sus-

pensio; quare si quis à suspensionis illatâ censurâ tanquam grauatus appellat, absolutionem non à Iudice à quo, sed à Iudice ad quem petere debet. videri potest *Suar. de censur. 29. S. 2. n. 3.*

Not. IV. Si excommunicatus vel interdictus à Prælato inferiore. v. g. Episcopo ex officio procedente, querelam deferat ad superiorem, videlicet Archi-Episcopum, tanquam grauatus, absolui is debet præstita cautione de parendo iuri, non obstante, quòd Episcopus contradicat & ad Pontificem appellet. Ita *Imol. hîc. n. 6.* & dicitur *inf. in c. Ex p. 23. de sent. excommunicat.*

CAPITVLVM XXVI.

Reprehensibilis.

PARAPHRASIS.

Alex. III. in Generali Lateranensi Concilio *c. 6.* prohibuit, ne Ecclesiarum Prælati in subditos suos suspensionis aut excommunicationis sententiam proferant, non præcedente Canonica monitione, nisi talis culpa sit, quæ ipso iure censuram huiusmodi annexam habeat. Præterea, ne subditi contra disciplinam Ecclesiasticam appellent, sin autem aliquis ex causa rationabili appellârit, tum Iudex à quo competentem ei terminum temporis assignet, intra quem, si appellationem neglexerit, Prælati à quo appellatum, restimat jurisdictionem. Deinde si intra terminum veniente eo, contra quem appellatû est, is, qui appellauit in quocunq; negotio, non aduenerit, condemnandus est, ad compensationem expensarum factarû ab aduersario, dummodò quid proprium habeat, vt vel hac ratione compescatur ab appellatione temeraria; potissimum verò Religiosis vetatur, ne, si ob excessum aliquem corrigendi sint, contra Regularem disciplinam Prælati & Capituli appellare præsumant, sed humiliter ac deuotè sibi salutarem pœnam suscipiant.

SYM-

S V M M A R I V M.

1. Excommunicatio ab homine nunquam alicui infligi potest, nisi precedente admonitione Canonica.
2. Vt nec alia censure quævis, cum omnis censura contumacia supponat, suspensio tamen & interdictum interdum vt pura pena infligitur, quæ sine monitione esse potest.
3. Appellans si intra terminum definitum appellationem non sit prosecutus, iudex à quo reassumit jurisdictionem; appellans ad expensas condemnatus, jure Casareo iudicis arbitrio punitur.

Not. I. Excommunicatio ab homine seu Iudice nunquam alicui infligi potest nisi præcedente monitione canonica, ita vt non obtemperans contumax appareat. *cap. Romana. 5. §. sed nec. de sent. excom. in 6.* Aliter dici potest, quod excommunicatio nunquam inferatur ob culpam merè præteritam, tamen si grauissima sit: nam si reus contumax non sit, sed Ecclesiæ mandatis deinceps parere paratus, excommunicari non potest, imò si in tali casu excommunicationem contraxisset, & satisfactionem emendationemque sponderet, absolui deberet iuxta *cap. precedens.*

Ratio est: quia excommunicatio non est mera pœna siue vindicta, sed pœna salutaris & medicinalis, quare cum spiritualibus magnis commodis priuet, inferri non debet, nisi perversis & contumacibus; sed & auferri contracta debet, quamprimum aliquis contumaciam & cordis durtiam deposuerit, vide quæ docui *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. ass. 1.*

Quæres, Num hæc doctrina etiam de suspensione & interdicto accipi debeat, & quidem *in cit. c. Rom.* tantum excommunicationis mentio fit, in hoc autem *cap.* etiam suspensionis, sed non interdicti.

2. **Resp.** Cum *Innoc. in c. 1. de excess. Pralat. n. 1. Abb. hic. n. 3. Suar. disp. 3. f. 10. n. 2.* traditam doctrinam locum habere in omni censura, cum omnis censura propriè dicta contumaciam supponat, sicuti docui in *cit. c. 5. n. 3.* Discrimen autem hoc est inter excommunicationem & alias duas Canonicas pœ-

nas; quia omnis excommunicatio est propriè censura, ideòque contumaciam requirit, quæ sine monitione non est; at verò suspensio ad aliquod tempus interdum Clerico infligitur ob culpam merè præteritam atque emendationem & satisfactionem promittenti, ita vt pura pœnæ rationem habeat, sicuti colligitur ex *cap. Tam literis. 23. in fin. de testibus. & c. 2. de Cler. excom. & docui l. 1. tr. 5. p. 3. c. 3. ass. 3.* sed & interdictum personale fieri posse ob culpam merè præteritam, seu vt puram pœnam, testatur *Alexand. hic. n. 7. Suar. in fine disp. 32. de Censur.*

Not. II. Si appellans intra terminum definitum appellationem non prosecutus sit, Iudex à quo, reassumit jurisdictionem *cap. Cum sit. 5. h. tit. & appellans ad expensas & interesse adversario præstandum condemnatur.* Alià tamen pœnà non afficitur, licet aliter statutum sit secundum jus Cælareum, videlicet vt Iudicis arbitrio puniatur. *l. Eos 6 §. ne temerè. C. de appell.*

Cætera, quæ hîc dicuntur de non appellando à disciplina Ecclesiastica maxime regulari, leges, *in c. 3. h. tit.*

CAPITVLVM XXVII.

Ad hæc.

P A R A P H R A S I S.

Si pars litigans appellauerit, Iudex à quo præcipere ipsi potest, vt intra terminum ipsi præfixum, prosequatur appellationem aut ad Iudicem suum redeat; quod si verò pars altera iudicem suspectum habuerit, tunc compelli potest, vt arbitrum sibi eligat, qui de suspicionis causa, legitime sit, diiudicet, de hoc posteriore dicitur *cap. 61. h. tit.*

S V M M A R I V M.

1. Iudex à quo, non tenetur appellanti terminum prosequenda appellationis definire, sed potest, si velit causam relinquere in dispositione juris communis.
2. Debet autem definire, si pars litigans temerè & frustratorie appellaret.

NOt. vnic. Iudex à quo, non est obligatus vt definiat appellanti terminum prosequendæ appellationis, sed potest si malit in dispositione juris communis causam relinquare secundum ea, quæ dixi in *c. 4. h. tit.* Ita docet *Hostiens. Abbas. Alex. & alij*, & sumitur ex hoc *cap. verb. fas est*; quod facultatem significat, non necessitatem & obligationem, quandoquidem non quidquid Iudicis potestati permittitur, id subiicitur juris necessitati. *l. 44. ff. de jud.* si tamen pars litigans temerè & frustratoricè appellare videatur, tunc malè ageret Iudex, si terminum non definiret. *arg. c. seq.* nam aliqui appellare possunt solùm, vt lites & mandata Superiorum per annum vel biennium protrahant, talibus autem hominum malitiis indulgendum non est. *cap. Plurimque. 17. de prescript.*

CAPITVLVM XXVIII.

Pervenit.

PARAPHRASIS.

G. Ecclesiæ Salabrienfis Canonicus cum ab Episcopo suo ad residentiam admonitus fuisset, in appellationem prorupit, hoc cognito Alex. III. mandare idem Episcopo, quandoquidem suspicio est, Canonice frustratoricè dilationis causâ appellasse, vt eum iubeat vel residere, vel intra terminum ipsi præfinitum iter Romanum versus arripere, tunc verò Vicarium ei constituat in Ecclesia, cui de beneficiorum redditibus congruam sustentationem designet, quòd si dictus Ge. alterum horum adimplere neglexerit, præbendâ suâ eum priuet, & alteri personæ idoneæ conferat.

Not. I. Si suspicio sit, quòd appellatio fiat litis tantum protrahendæ causæ terminus à Iudice definiendus est appellanti, intra quem causam appellationis prosequi debeat, dixi de hoc in præcedente cap.

Not. II. Si beneficiatus ex iusta causa absit, Vicarius interim congrua ei portione assignata constitui debet, si tale sit benefici-

cium, vt residentiam postulet, alioquin beneficiarius priuari posset. de hac re dicitur in *cap. Extirpanda. 30. S. si verò, de præbend. & in tit. de Cler. non residentibus.*

CAPITVLVM XXIX.

Consuluit.

PARAPHRASIS.

Episcopus Ordinarius prohibere voluit, ne Iudæi Christianos vt mancipia tenerent, sed quia Rex Galliarum pro Iudæis se opposuit, & appellare voluit, quæsitum est, num tali appellationi sit deferendum? Resp. Alex. III. propter eiusmodi appellationem à Sacrorum Canonum institutis discedendum non esse.

Simile huic est, quòd idem *Alexand. in Cone. Lat. p. 20. c. 4* scripsit in hæc verba: Cum sacris Canonibus cautum sit, ne Iudæi Christiana mancipia habeant, præcipimus quatenus sublato appellatiouis subsidio anathematis interminatione iubeas publicè, ne quis Christianorum alicuius Iudæi mancipium efficiatur.

SUMMARIUM.

1. Appellatio, ne id fiat, quòd expressa lege, aut Canone fieri præcipitur.
2. Ecclesiastico iudici competit indirecta iurisdictio erga Iudæos aliòsque infideles, ne quid ab iis fiat, quòd Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit.

Not. I. Non est recipienda appellatio, ne id fiat, quòd aperta lege aut Canone fieri præcipitur, cum sit friuola & irrationalis appellatio, atque inobedienciæ præsidium foret, si ei deferretur.

Not. II. Ecclesiasticus Iudex iurisdictionem exercet erga Iudæos aliòsque infideles indirectè, ne quid ab iis fiat, quòd Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit, quâ de re dicitur in *lib. 5. tit. de Iudæis,*

& docui *l. 2. rr. 1. cap. ult. in fine.*

¶ (†) 50

CAPL.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Pontifex Iudici delegato causam commisit, vt in ea procedat remota appellatione, hoc casu, si pars nuntium destinauit ad Sedem Apostolicam super eadem causa, antequam Apostolicæ delegationis notitiam accepit, vel per citationem præuenta est, Index delegatus procedere non potest; sin autem post factam citationem nuntius destinatus est, Iudex nihilominus procedere debet.

Decisio huius Capituli reuocata est ab Innoc. III. in Concil. Generali. *c. Vt de- bitus. 59. h. tit.*

CAPITVLVM XXXI.

De priore.

PARAPHRASIS.

Licerat inter Priorem & N. Regularem Canonicum. Ille querebatur contra eiusdem N. & aliorum insolentiam, quod à correctione Regulari, quam ipsis inferat, ad Pontificem appellerent. At verò N. obiecit, quod Prior ipsum indignè tractârit, adeò vt vestibus omnibus vsque ad camisiam priuari fecerit, & cum provocaret ad Sedem Apostolicam accusaturus eundem Priorem, ab ipso coactus fuerit ad renuntiandum accusationi, & appellationi.

His cognitis Alex. III. mandat Episcopo Eboracensi, vt rei veritate diligenter inquisita, si repererit Canonicum N. ad euirandam disciplinam appellasse, Priori pœnam non imponat, quia Romana Ecclesia tales appellationes recipere non solet, ne Monachis vel Canonicis Regularibus præbeatur audacia ad delinquendum: sin autem Canonicus Priorem propter manifestos eius excessus accusare voluit, & idè ad Pontificem appellauit, Prior autem appellationi deferre

noluit, tunc eundem Priorem cum literis rei gestæ feriem continentibus ad Sedem Apostolicam mittat, & complicibus eius pœnam talem iniungat, vt alteri hoc exemplo, à similibus patrandis absterreantur. Ita habetur secundum integram lectionem post Concil. Lateran. sub Alex. III. in *append. p. 10. de appell. c. 25.*

SUMMARIUM.

1. Appellari potest à subdito & Prælati accusari, si modum notabiliter & notoriè in corrigendo excedat.
2. Superior appellationi iusta, etiam extrajudiciali non deferens, puniendus est arbitrio iudicis.

NOT. I. Si Prælati regularis in corrigendo modum notabiliter ac notoriè excedat, subditus appellare potest & accusare Prælatum, vt dixi in *c. 3. h. tit.*

NOT. II. Si superior iustæ appellationi etiam extrajudiciali non deferat, puniendus est secundum qualitatem delicti superioris arbitrio. *Arg. c. de causis. 4. de off. deleg. vbi dicitur: si pœna certa in iure decreta non sit, arbitrariam imponendam esse secundum causæ & excessus qualitatem, & in 6. Decreto. 11. causa. 2. q. 6. depositionis pœna ei decernitur, qui Episcopum ad Sedem Apostolicam appellantem impedièrit. vide Abb. hic in fin. Alex. n. 26.*

CAPITVLVM XXXII.

Quia.

PARAPHRASIS.

Petebant quidam Religiosi, vt liceret Capitulo ipsorum generali Abbates remota appellatione cogere ad renuntiandum, si infamiâ criminis publicè aspersi, aut de ea conuicti essent, quod Alexand. III. ipsis concessit.

SUMMARIUM.

1. Infamia criminis si euidenter notoria est, probatione nulla indiget, si non est, probari debet per testes.

xxx 2

2. In

2. In quibusdam Religionibus consuetudo vel statutum viget, ut Prælatus infamis de graui crimine ad insinuationem generalis Capituli Prælaturâ cedere teneatur.
3. Hac supposita consuetudine vel ordinatione, si facta est insinuatio Abbati à Capitulo Generali, Abbas cedere tenetur, nec tenet eius appellatio.
4. Seposita autem hac consuetudine & statuto, de jure communi, Prælatus Religiosus propter solam criminis infamiam deponi non potest.
5. Ostenditur modus duplex in tali casu contra infamem Prælatum procedendi.

NOT. I. Infamia criminis interdum adeo notoria est, ut probatione nulla opus sit, interdum verò non ita notoria, tunc probari debet per testes, c. 3. §. Sape. verb. Fama. c. 4. q. 3. vbi Gl. ait: Si Index dubitet de fama, querat ex vicinis.

2. Not. 2. In quibusdam Religionibus consuetudo, vel statutum viget, ut Prælatus si infamiâ grauis criminis aspersus sit, ad commonitionem Capituli Generalis Prælaturâ cedere teneatur, sicuti de Prædicatorum & Carthusianorum Generali, quod ex hac causa ad renuntiandum cogi possint à generali Capitulo, ex Host. testatur hic *Abb. n. 5.* & de Cisterciensium Ordine, quod Capitulum generale Abbates ad renuntiandum adigere queat, ita ut si renuant, duobus diebus post factam insinuationem, ipso facto potestate priuati sint, testatur *Rodriguez t. 1. Regular. q. 41. a. 3.* Supposita itaque tali ordinatione, aut consuetudine, concessit Alex. III. ut si monitio seu insinuatio Abbati à Capitulo Generali facta sit, cedere teneatur, ita ut appellatio eius ad Papam non recipiatur.

Sed seposita tali consuetudine, aut statuto adeoque spectato communi jure, rectè hic docet *Abb. n. 13.* quod neque Prælatus Religionis deponi possit propter solam criminis infamiam, sed in hoc casu duplex procedendi modus sit. 1. Ut indicatur ipsi (si nullus adsit accusator) purgatio Canonica, ita ut si purgare se noluerit aut non potuerit pro conuictio habeatur. c. Accedens. 23. in fine, de accusationibus.

2. Ut nisi sponte renuntiare velit, subeat iudicarium processum, ita ut per testes & alias probationes legitimas conuincatur, c. Licet. 31. & c. sequente. de Simonia.

CAPITULUM XXXIII. Ad Aures.

PARAPHRASIS.

Pontifex Iudici à se delegato commisit causam aliquam, remota appellatione, sed reus citatus intercedentes questiones proponens, & ab interlocutoriis appellans moram traxit in proseguenda appellatione, actore suspenso. Hoc casu, ait Alex. III. clausulam illam *remotâ appellatione* extendi non posse ad incidentes questiones, cum ea sæpe numero præiudicialia sint; verum in hoc casu si appellans terminum non præfixit, ipsemet delegatus terminum temporis competentem decernat, intra quem si appellationem prosecutus non fuerit eiusdem Iudicis iudicio submittere se cogitur.

NOT. vnicum. Clausula rescripti ad lites non extenditur ad incidentes questiones, quia rescripta ita intelligi debent, ut partibus præiudicium non afferant. Dicitur est de hoc in c. 4. in c. Peruenit. & in c. Consuluit. 14. in fine. h. t.

CAPITULUM XXXIV. Ad Audientiam &c.

PARAPHRASIS.

Rektor Ecclesiæ S. Jacobi Zamorensis, ab Episcopo Zamorensi multis afficiebatur molestiis; ea propter denique se & Ecclesiam suam protectioni Apostolicæ Sedis commisit, sed quia ob simplicitatem verbum appellationis non expressit, Episcopus nihilominus contra eum, qui Romanæ Ecclesiæ patrocinium inuocauerat, excommunicationis sententiâ protulit, hoc audito Alex. III. respondit, quia dictus Rektor postquam se Romanæ Ecclesiæ protectioni subiecit, non præmissâ causæ cognitione, condemnari non poterat, ideò Episcopum Abulensem, si ita esse, sicut narratum est, constiterit, ex-

com-

communicationem irritam esse declarare debere.

SUMMARYM.

1. *Provocans ad Superiorem, si dicat: committo me Superioris protectioni, vera & valida est appellatio.*

NOT. vnicum. Etsi aliquis ad Superiorem provocaturus non utatur verbo appellandi; sed æquivalente, quo eius intentio sufficienter exprimat, valet appellatio, ut si dicat: committo me Superioris protectioni, simile quid habetur in *cap. In his. 1. 5. de verb. signif.* quod valeat sententia Iudicis, etsi non utatur verbo *condemno* aut *absolvo*, sed dicat *statuo*, *præcipio* &c. quia talis locutio secundum effectum significat condemnationem vel absolutionem, sicut commissio illa sub protectionem iudicis superioris in effectu significat appellacionem.

Accedit quod non debet aliquis considerare verba, sed potius voluntatem loquentis, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inferuire, *cir. cap. In his. & consentit cap. Petitio. 9. de Procurar.*

Excipiendum est, nisi certa forma verborum ad actum requiratur, ita ut sit de substantia eius, iuxta *l. 1. ff. de verb. oblig. & c. un. de postul. Pral. in 6.*

Quæres. Quid est, quod in Textu dicitur, Rectorem condemnari non potuisse, absque causæ cognitione, cum Episcopus post appellacionem, ne quidem cum causæ cognitione procedere potuisset ad excommunicandum.

Resp. Ea verba non referri ad Episcopum, à quo appellatum, sed sensum esse, postquam Rector appellavit ad Pont. à nemine condemnari potuisse, nisi cognitâ prius causâ appellacionis.

CAPITULUM XXXV.

Accepta.

PARAPHRASIS.

Canonici Pampillonens. apud Alexand. III.

questi sunt contra Ducem Nauarrorum, quod eos bonis suis spoliasset, & petierunt causam committi Archi-Episcopo Tarraconensi: eam commissionem cum fecisset Papa, postea intellexit causam hanc agitatam fuisse coram eodem Archiepiscopo, & ab ipso Ducem appellasse: quare rescipit Alexander III. Quoniam Canonici in impetratione rescipiti hoc ipsum reticuerunt, quod si Papa cognitum habuisset, causam Archi-Episcopo non commisisset, obreptitium censendum esse, quandoquidem causa remitti non debet ad Iudices eosdem, nisi pars, quæ appellavit, consentiat.

SUMMARYM.

1. *Taciturnitas veri quando vitiet rescriptum.*
2. *Judex ad quem, causam appellacionis non debet delegare iudici à quo appellatum.*
3. *Nisi ab eo bene appellatum esset super questione incidente, tunc eâ decisa posset causa principalis ad eundem remitti.*
4. *Judex ad quem, ante omnia cognoscere debet de causa appellandi, & eâ reperta frivola, aut omnino nulla, appellantem remittere ad iudicem à quo.*
5. *Casu quo iudex à quo succedat in locum iudicis ad quem defuncti vel depositi, de causa appellacionis cognoscere non poterit repugnante alterâ parte, sed debet ea alteri non suspecto delegari.*
6. *Tanquam suspectus recusari potest, qui ante in eadem causa consilium vel responsurum dedit.*

NOT. I. Taciturnitas veri (quod si in impetratione rescipiti, expressum fuisset, Princeps id non concessisset, vel non tali modo ac forma concessisset) vitiat rescriptum, sicuti sæpius dixi. *l. 1. tr. de rescripts.*

Not. II. Iudex ad quem, non debet causam appellacionis delegare, aut examinandam remittere ad Iudicem à quo, appellatum. *l. eos. 6. de appellacionibus;* cum enim Iudex antea granasse dicatur, periculum est, ne iterum grauet, si eadem ipsi causa committatur, aut remittatur; quare ipse-

met Iudex, ad quem appellatum, per se, vel per alium non suspectum de causa & iustitia appellationis cognoscere debet, & si intelligat malè iudicatum & benè appellatum, tum causam principalem assumere & definire. *c. vt debitum. 59. h. t. sin autem intelligat bene iudicatum & malè appellatum, tum remittere causam debet ad Iudicem à quo, nisi is appellationi detulerit, adeòque à se jurisdictionem amouerit, tunc potest quidem remissionem facere, sed non tenetur. c. Cum appellationibus. 5. h. t. in 6. & videri potest apud Gail. l. 1. obseru. 131.*

3 Sed limitari debet notandum. I. ex doctrina *gl. in cit. l. Eos. verb. decisam.* quòd Princeps, seu Iudex supremus ex certa scientia Iudici, à quo benè appellatum est super questione incidente, postquam ea decisa est, remittere vel committere possit causam principalem.

4 2. Iudex ad quem ante omnia cognoscere debet, num rationabilis causa appellandi fuerit nec ne, si enim nullam aut friuolam fuisse intelligat, statim eam ad Iudicem à quo remittere debet. *c. Cum in Eccl. 38. h. t.*

Quæritur. Si accidat, vt Iudex, à quo appellatum, succedat in locum Iudicis ad quem defuncti aut depositi, num de causa appellationis cognoscere possit.

5 Resp. Cum *gl. fermè communiter recepta in cit. l. Eos. verb. pronocatur.* non posse de ea causa cognoscere si pars altera repugnet, sed opus esse, vt alii non suspectæ personæ deleget; quemadmodum nec Aduocatus, si postea in Iudicem vel assessorem assumatur in eadem causa, in qua Aduocatus fuit, sententiam ferre permittitur, sicuti habetur in *c. Sequenti. & in l. Prator. 17. junctæ gloss. verb. suscepta. ff. de jurisdictione omnium Iudicum. & l. vlt. c. de assess. sed neque testimonium ferre l. vlt. ff. de test. cum ad causam, quam egit, aut defendit affectus esse cenleatur.*

6 Addit *Alex. de Nau. in c. sequente. n. 36.* quòd etiam is tanquam suspectus recusari potest, qui ante in eadem causa consilium seu responsum dedit, pro altero litigante, eò quòd homo naturaliter propendat ad

opinionem, quam semel tenuit retinendam & tuendam.

CAPITVLVM XXXVI.

Postremo.

PARAPHRASIS.

Si alicui causa delegata fuerit, qui consanguineus sit impetrantis rescriptum, vel in eadem causa fuerit Aduocatus, aliæ ratione parti alteri suspectus, non prohibetur illum recusare, tamen si causa commissæ sit, remota appellatione.

SUMMARIVM.

1. *Causâ delegatâ, remotâ appellatione iudex delegatus ob justam causam recusari potest.*
2. *Iusta causa est recusandi vt iudicem, consanguineum vel affinem aduersarii tui.*
3. *Et hoc valet etiam in iudice Ecclesiastico, dum iudicat in causa Ecclesie sue.*

Not. I. Etsi causa delegata sit remotâ appellatione, tamen Iudex delegatus ob causam justam recusari potest, cum enim recusatio Iudicis diuersa res sit ab appellatione. *l. Vn. C. ne liceat in una. & c.* sequitur prohibita appellatione non prohibita cenferi recusatorem, vide quæ dixi in *c. super eo. 12. §. causis. in h. t.*

Not. II. Si Iudex sit consanguineus aduersarii tui, justam causam habere eum recusandi, idemque dicendum, si sit affinis, *argum. l. Aut affinitate. 32. ff. de Procurat. vbi dicitur: quòd Procuratorem, si sit affinis mei aduersarii, recusare possum, & tradit Abb. hic. n. 2. Franc. sol. 4.* Quòd omnis causa, quæ sufficit ad recusandum Procuratorem vel arbitrum, sufficiat ad recusandum Iudicem.

Adde, idem esse dicendum tamen si Prælati iudicet in causa Ecclesie sue, consanguineum eius recusari posse, si is Iudex in ea causa impetratus sit, teste *Abb. hic. n. 6. Dominic. in c. Iudex, de off. deleg. vbi gl. monet. verb. familiarem.* quòd Iudex facili de causa recusetur.

CAPI-

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Excommunicatio & interdictum æquiparantur, quare sicuti excommunicatio post interpositam appellationem irrita est, ita & interdictum, & sicuti sententia appellationis non suspenditur per sequentem appellationem, ita nec interdictum.

Hic est vnus intellectus huius Capituli; quamuis non satis per verba expressus, sicuti interpretes hinc monent.

SYMMARIVM.

1. Appellatio à sententia excommunicationis, aut interdicti non parit effectum suspensiuum.
2. Ratio redditur, cur Ecclesia hoc ita constituerit.
3. Etiam appellatio contra suspensionem, quæ propriè censura non est, sed vt pura pœna inferitur, effectum non suspendit.

Not. Vnic. Appellatio à sententia excommunicationis, aut interdicti non parit effectum suspensiuum, siue quod idem est, excommunicatio & interdictum per sequentem appellationem non suspenduntur, idemque sentiendum de censura suspensionis, & si alicui ingressus Ecclesiæ interdictus sit, sicuti *leges. in c. is cui. 20. de sent. excom. in 6.* Ratio à plerisque redditur ex *c. Pastoral. 53. §. verum. h. t.* Quia excommunicatio, (idem est de aliis censuris) executionem sententiæ secum trahit, quia videlicet statim animam ligat, cum primùm pronuntiata est. Veruntamen hic ipse effectus prouenit ex dispositione Ecclesiæ talem ligandi vim censuris annectentis, cum tamen potuisset aliter constitui, videlicet, vt anima non statim per censuram ligaretur, sed locus esset appellationi intra dies. v. g. 10. sicuti notat *Sayr. in Theaur. l. 4. c. 10. n. 14.*

Ideò ratio dari debet, cur Ecclesia ita constituerit, quæ duplex est. 1. Vt tanto maior esset Ecclesiæ autoritas aduersus

contumaces, si sciant censuræ effectum impediri non posse per appellationem. 2. Cum censura sit pœna medicinalis, statim auferi debet depositâ contumaciâ, idè que facile est, ab ea absolutionem consequi seu ab ipso excommunicante, seu à superiore eius per appellationem ad ipsam interpositam, quâdoquidem appellatio à censura parit effectum deuolutiuum, vt is, ad quem appellatur, de iustitia excommunicationis & appellationis cognoscat.

Porro quod attinet ad interdictum & suspensionem, notant hinc *Abb. & Alex. post Innoc. & gl. in cit. c. is cui. verb. sequentem.* Si alicui interdicitur perceptio, aut vsus temporalium, talem sententiam suspendi per appellationem; quin etiam si quispiam suspendatur à fructibus beneficii eiusque administratione, aut à voce actiua vel passiva. Item ab vsu Pontificalium, vel pallij Episcopalis, vt ex sententia communiore refert *Avila de censur. p. 3. disp. 3. d. 4. Con. 1.* Ratio dari debet, quia quæ exorbitant à iure communi & ordinario, ea strictam interpretationem merentur; cum itaque communis Regula sit, quòd sententia Iudicis per appellationem suspenditur. & *in cit. cap. Is, cui mentio duntaxat fiat de suspensione ab officio diuino, quòd per appellationem non suspendatur, idè trahi non debet ad alias suspensiones, quæ non sunt à diuino Officio, saltem secundum substantiam. Vide quæ dixi l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 4. v. 3.*

Id in quæstione est, num appellans contra suspensionem, quæ propriè censura non est, sed ob peccatum merè præteritum, tanquam pura pœna inferitur, effectum suspensiuum pariat. v. g. Si Episcopus Clericum adulterum ad triennium suspendat à celebratione Missæ.

Videtur esse affirmandum 1. Quia *in cit. cap. Is cui.* absolutè & sine distinctione dicitur, quòd suspensio ab officio per sequentem appellationem non suspendatur. 2. Quia celebrans in tali suspensione irregularitatem non minùs incurrit, quàm si censuram propriè dictam violaret, *argum. c. 1. de sent. excommunicat. in 6.* & esse indubitatum ait

ait *Suar. de Cens. disp. 27. f. 2. n. 4.* & ideo hanc quaestiones partem tanquam probabiliorem sequitur *Alex. hic n. 9.*

Sed pars opposita mihi placet, quam tradit *Abb. inc. Sape. h. r.* Probatur 1. Quia vera ratio, cur appellatio ex constitutione Ecclesiae non suspendat sententiam suspensionis, est, quam supra dedi, quia poena medicinalis est, ob contumaciam lata, donec Reus resipiscat; quae ratio locum non habet in suspensione, quae censura non est.

2. Ex doctrina *Gl. recepta in cit. c. Sape. verb. rata manet*; quod Praelatus, qui post sententiam depositionis appellauit ad Papam, pendente appellatione, administrare & jurisdictionem exercere possit, quia, qui provocat, nondum damnatus est. *l. 2. §. ult. ff. de poenis*, quia neque is, cui ad tempus aliquod suspensio à diuinis per interdictum illatum est, ita damnatus censeretur, quo minus intra tempus legitimum à sententia appellare possit, cum nihil ad propositum referre videatur, siue suspensio, ut pura poena lata sit ad tempus, an in perpetuum, ut sit depositio, quandoquidem ab utraque sententia. v. g. siue in perpetuum aliquis carceri adiudicetur, siue ad tempus, appellare possit communi iure.

3. Quia si casus aliquis specialis in iure non satis expressus reperiatur, standum est Regulam juris communis, quae in proposito est, quod per sententiam condemnato, appellatio concedi debeat.

Ad 1. arg. oppositae sent. ductum ex *c. is cui. Resp.* Eum textum nobis fauere, quod enim appellatio latam sententiam non suspendat, id principaliter dicitur de excommunicatione, de suspensione autem & interdicto, quatenus excommunicationem imitantur; uti etiam colligitur ex hoc *c.* non autem imitantur nec æquiparantur excommunicationi quatenus censuræ sunt ob contumaciam inflictæ, cum excommunicatio semper ex sua natura contumaciam requirat, neque ut pura poena ferri possit.

Ad alterum *Resp.* negando consequi. cum hi duo effectus, quod suspensus appellare, & quod in suspensione celebrare possit, planè

diuersi sint; à diuersis autem inferri non possit.

CAPITVLVM XXXVIII. Cum in Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Quidam Clerici iudicium Episcopi sui absque causa rationabili detrectantes ad Archi-Episcopum prouocabant, eo cognito Clem. III. mandat Archi-Episcopo ut Clericorum appellationes prius non recipiat, quam cognoverit eas factas esse à grauamine aut sententia iniusta, alioquin appellatam ad Episcopum remittat, ut remota appellatione iudicio eius obtemperet.

SUMMARIVM.

1. Iudici appellationis cognoscendum ante omnia de causa appellationis, an ea rationabilis sit & iusta.
2. Appellans coram iudice ad quem, probare debet appellationem factam, & quidem intra decem dies à lata sententia, & rationabili causa.

NOrand. Vnicum. Iudex appellationis ante omnia cognoscere debet, num iusta fuerit appellandi causa, propter illatum grauamen extra vel intra iudicium, quia si causa appellandi rationabilis non fuerit, sed frivola, procedere ulterius non debet, sed ad Iudicem, à quo remittere, præcipiendo, ut non obstante hac appellatione ipsi pareatur. Consentit *cap. ut debuit. 59. hoc tit.* Et videri debent, quæ dixi in *c. accepta. 35. eod.*

Corollarium. Appellans coram Iudice, ad quem, probare tenetur se appellasse, & quidem intra 10. dies à lata sententia vel grauamine illato, & ex causa rationabili videlicet; quæ si probata fuerit, iusta declarabitur. *cit. c. ut debuit*, & antequam hæc ostensa sint, Iudex ad quem, non potest prohibere Iudici à quo, ne in causa ulterius procedat. *c. Rom. 3. §. si verò. h. r. in 6.* videri hæc potest *Alexand. n. 4. Franc. nos. vlt. vbi aiunt:*

aiunt: ex Joann. Andr. in cit. § quod appellans teneatur producere appellationem & ipsam sententiam, à qua appellavit, ut appareat eum intra tempus legitimum videlicet 10. dies appellasse, quia de re dixi supra in c. 4. h. t.

CAPITVLVM XXXIX.

Directa.

PARAPHRASIS.

Coram Ordinario loci tractabatur causa matrimonialis, in qua mulier virum sibi petebat propter contractas nuptias; vir opponebat vinculum consanguinitatis inter ipsos. Cum autem Iudex in processu hoc grauare videretur, mulier ad Pontificem appellavit, sed intra terminum ipsi praefinitum appellationem non est profecuta, ideò Iudex reassumens jurisdictionem, testimonia de consanguinitate ab viro producta recepit, tunc iterum appellavit mulier ad Pontificem, quassitum fuit, num huic appellationi deferri debeat nec ne.

Resp. Clem. III. licet secundum Concil. Lateran. sub Alex. III. sup. in c. Reprehensibilis. 26. h. t. decretum fuerit, quod Iudex, à quo, si appellans appellationem intra terminum praefinitum profecutus non sit, procedere possit in causa; eò quod appellatio deserta videatur, quia tamen iura permittunt, ut in eadem causa bis appelletur, ideò mulier per alteram appellationem se ab ordinarii jurisdictione exemisse censetur, praesertim cum viri intentio ad separationem Matrimonij (cuius causa fauorabilis est) tendat.

S V M M A R I V M.

1. Semel à sententia interlocutoria appellans, an iterum appellare possit super eodem articulo.
2. Semel appellans ab interlocutoria, eaque appellatione deserta, potest iterum appellare, non autem tertio.
3. Sententia interlocutoria non transit in rem

judicatam, nisi confirmata, aut bis pronuntiatam sit, & tunc solum reuocabilis non est.

Quaestio est. Qui semel à sententia interlocutoria appellavit, an iterum appellare possit super eodem articulo.

Resp. Distinguendum esse, num Iudex grauet, antequam appellatio prior deserta sit, an verò postea; si prius grauat, & 10. dierum spatium ad appellandum concessum nondum finitum est, tunc iterum appellari potest; si Iudex post primam appellationem in causa procedat ad sententiam definitiuam. Clem. vn. de dolo, vbi excipitur, nisi prior appellatio manifestè friuola fuerit: nam qui ita appellat & Iudici non pareat, contumax est, contumaci autem appellatio non conceditur, teste Gratiano super cap. Et qui 41. 2. q. 6. §. sunt etiam. gl. in cit. Clem. vn. §. manifestè. ex l. Propexandum. §. etsi quidem. C. de iudiciis. Sin autem post decretam appellationem grauare Iudex videtur, tunc iterum distinguendum; vel enim pars litigans non sistit se Iudici, sed in contumacia manet post desertam appellationem, tunc Iudex non obstante contradictione & appellatione procedit in causa c. Personas, 4. hoc tit. & c. 2. de dolo in 6. vbi dicitur: quod Iudex in hoc casu nec citare teneatur; vel sistit se Iudici, ideòq; contumax non est: hoc casu si Iudex iterum interlocutoriè procedendo. v. g. testes esse admittendos, vel non, dilationem concedendam vel non, grauare videatur, iterum appellari potest, praesertim si causa fauorabilis sit, v. g. matrimonialis.

Notand. Sicuti appellatio à sententia definitiua secundà vice admittitur, non autem tertia vice. l. vn. C. ne liceat in vna eademque causa tertio pronocare. Ut si à duobus viris appellauit ad Praefectum provinciae, à Praefide iterum in eadem causa appellare possum ad Praefectum Urbis, non autem à Praefecto Urbis deinceps appellare licet sub eodem cap. seu causa, propterea quod praesumptio sit contra eum, aduersus quem bis in eadem causa iudicatum fuit; ita secundum quandam proportionem dicendum etià est de sententia interlocutoria, licet

y y y quis

quis ab ea semel appellauerit, potest tamen, si appellationem deseruit, & denuò Iudici se sistit, iterum appellare, si Iudex eandem interlocutoriam renouet. Tertia autem vice appellatio non conceditur.

3. Pro cuius rei intellectu adverte. Quod sententia interlocutoria non transit in rem iudicatam, adeoque à Iudice semper retractari, aut immutari potest. *l. Quod iussit. 14. ff. de re iudicat. ubi rubr. Bart. ait: quod Iudex sententiam suam interlocutoriam retractare possit, non definitiuam. Veruntamen si sententia interlocutoria confirmata seu bis pronuntiata sit, tunc revocari seu retractari nequit, quia transisse censetur in rem iudicatam, sicuti annotauit Franc. hic ante Conclus. 5. ex doctrina gl. in Clem. ult. verb. Super ca. h. t.*

CAPITVLVM XL.

Præterea:

PARAPHRASIS.

Cælestinus III. consultus erat super hoc casu, Episcopus, aliusve Ecclesiasticus Iudex talem sententiam tulit contra Sempronium, si intra dies 20. non satisfeceris laeso à te Titio, ipso facto excommunicatus, interdictus, vel suspensus sis; Sempronius à lata sententia appellat, & intra dies 20. satisfacere intermittit. Quæritur, hunc censuram contrahat.

Resp. Papa eum non contrahere, sed propter appellationis obstaculum, tutum ab excommunicatione aliaue censura Episcopi esse.

SUMMARIUM.

1. Appellatio post latam sententiam censuram sub conditione, nisi intra dies 30. vel 20. restituas vel satisfacias, si facta est ante eventum conditionis, censuram suspendit.
2. Appellare licet à censura lata sub conditione, etiam post decendum, ante eventum tamen conditionis.
3. In aliis sententiis conditionalibus id non licet.

4. An & quomodo pendente conditione, sub qua censura lata est in Titium, & ipse mutet domicilium, eveniente conditione incurrat censuram?

Not. vnic. Appellatio post latam sententiam censuræ sub conditione, nisi intra dies 30. vel 20. restituas, aut satisfacias, si facta sit ante eventum conditionis suspendit sententiam censuræ, ita vt non contrahatur, tametsi conditio non seruetur seu non restituatur. Ratio est; quia censuram aliquis incurrere non potest, nisi obligetur præcepto ac sententiâ, atqui post appellationem interpositam aliquis non obligatur sententiâ & præcepto Iudicis, cum eius effectus & vis suspensa sit, ergo tametsi agat contra sententiam & præceptum, videlicet non restituendo, tamen censuram non incurrit. Sed neque peccare censendus est, si, vt communiter fieri solet, non à sola sententia censuræ, sub conditione lata appelletur, sed etiam ab ipso præcepto secundum se, sicuti annotauit Suar. de censur. s. 6. Disp. 3. n. 1.

Obijcitur conditionalis dispositio adueniente conditione purificatur adeò, vt per iuris fictionem perinde sit, ac si initio purè & absolute dispositio facta esset. *l. Potior. 11. ff. de pig. 20. ubi dicitur: si sub conditione stipulatione facta hypothea data sit, quæ pendente alius credit purè, v.g. pecuniam, & accepit eandem hypothecam, hoc casu eum, qui prius sub conditione stipulatus est, potiore esse, cum enim semel, inquit lex, conditio exiit, perinde habetur ac si illo tempore, quo stipulatio interpolata est, sine conditione facta esset, vbi DD. aiunt: quod dispositio iuris fictione retrahitur ad tempus, quo facta est, ergo etiam in nostro casu, si conditio impleta sit, videlicet restitutio diebus 20. intermissa, censeri debet excommunicatio purè lata & consequenter appellatio, quæ sententiam secuta fuit, nullius roboris esse.*

Facilis est responsio, quod conditio impleta retrahatur, si disponens id velit, & velle possit, aut saltem debeat. Exemplum est,

est, si quis puellæ vni nuptias promittat sub conditione, si Pater suus consensum dederit, & postea pendente conditione alteri puellæ promittat, postea impleatur conditio, quia parens consensum dedit, hoc casu valent sponsalia priora, non posteriora, perinde ac si ab initio absolutè facta essent, quia spondentis hæc potuit esse voluntas, & si non fuit, esse debuit, quia euentum conditionis sponsus expectare debebat, ita vt alteri puellæ alio modo se obligare non potuerit; at verò in nostro casu Iudex, qui censuram infert sub conditione, nisi intra dies 20. parti læsæ satisfiat, nec vult, nec potest velle, vt sententia excommunicationis retrahatur adueniente conditione ad tempus, quo lata est: nam de substantia cuiuscunque censuræ est, vt eam præcedat transgressio & contumacia; si autem conditio posita sit, nisi restitutio fiat intra dies 20. quòd transgressio & contumacia concipi non possit, ante finitum terminum, consequenter nec censura; quibus consentit doctrina recepta apud *Franc. hic quest. 3. excommunicationem retrahi, tametsi Iudex dixerit, nisi intra dies 20. restitueris. volo, vt ab hoc tempore excommunicatus sis.*

² Occasione textus, Queritur I. Num à censura lata sub conditione appellari possit, etiam post 10. dierum lapsum, si conditio adhuc pendens sit. Affirmat *Gloss. hic. verb. Impedire. Ioann. Andr. n. 17. Nauarr. in man. c. 27. n. 72. Suar. D. 3. 5. 6. n. 4. Anila p. 2. c. 5. D. 5. d. 11.* Quæ sententia vti communiter recepta est contra *Abb. hic. n. 8.* ita etiam valdè probabilis est, tum argumento huius Capituli, in quo absolutè dicitur medio tempore intra latam sententiam, & impletam conditionem appellari posse, ita vt censura non incurratur; tum verò ratione, quam *Innoc. hic* affert, & bene explicat *Fran. cit. l.* quia præcipiens aliquid sub censura incurrenda, nisi hoc fiat, pendente conditione continuò grauat, & ideò continuò à tali grauamine appellari potest, donec conditio impleatur, tunc enim censura effectum suum statim consequitur, & excommunicationem secum trahit, vt appel-

lationi locus nullus sit. *c. Pastoralis. 53. §. Verùm. hoc tit.*

³ Sed in aliis sententiis conditionalibus alia ratio est, quia conditio eueniens facit, vt sententiæ adimpletio retrahatur, perinde ac si in initio absolutè lata fuisset. v.g. si percussus ex vulnere moriatur, hæc pœna percussori de creta sit; hoc casu appellari debet intra 10. dies post latam sententiam, nam si conditio seu mors eueniat censebitur sententiæ purè lata ab initio, ideòque n. si intra 10. dies post eam latam appellatum sit, non valet appellatio, *iuxta l. 1. §. biduum ff. quando appellandum sit.* vbi dicitur: Tametsi sententia à Iudice ferenda sit purè, non sub conditione, tamen si sub conditione feratur, validam esse & tempus appellationi concessum, esse numerandum à momento latæ sententiæ, non euenientis conditionis.

⁴ Queritur II. Si pendente conditione, sub qua censura lata est in Titium, ipse mutet domicilium & forum, num conditione veniente incurrat censuram.

Resp. Cum Archi-Diacono, quem citat, & sequitur *Ioan. Andr. in c. Cum sint. n. 19. de regul. jur. in 6. Franc. hic col. 4. Suar. Disp. 3. f. 5.* distinguendum esse: vel censura lata sub conditione fertur per modum sententiæ iudicialis in aliquem, qui à Iudice in causa illa (seu de crimine, seu de contractu aliquo, & beneficio &c. agatur) præuentus fuit, hoc casu, eiusdem Iudicis sententia hominem constringit, ita, vt tametsi domicilium mutet, adeòque absolutè subditus esse desinat, tamen in ordine ad eam causam subiectus maneat, iuxta *cap. Proposisti. 19. & c. ult. de foro compet. & l. Cum quadam. 19. ff. de iurisd. omnium Iudicum.* consequenter censuram incurere possit, sicut docet *gloss. recepta hic in fine, & dixi in cit. c. ult. & in Disp. de iurisd. Ordinarij. concl. 20.*

Vel censura lata est à Superiore per modum puri præcepti, vt si Clerico præcipiatur sub censura, ne aleis lndat, hospitia publica frequentet, & postea idem Clericus aliò se transferat (non tantùm secundùm locum, quandoquidem etiam absens iurisdictioni subiectus esse potest) sed etiam iurisdic-

ditionem mutando videlicet domiciliū transferendo, tunc non potest censuram incurere, cū deficit fundamentum & ratio censuræ; si enim deficit iurisdictio, etiam vis præcepti pendens à iurisdictione, idèoque nec locus est transgressioni aut contumaciæ, quæ simili ratione inquit *Suar.* si lata sit censura, nisi læso restitutio fiat intra dies 20. & interim læsus condonet, non incurritur censura, cū præceptum in hoc casu obligare desinat. Idèmq; dicendum si terminus temporis prorogetur à parte læsæ, quippe in cuius gratiam terminus adiectus fuit, consequenter pars favori suo renuntiare potest seu in totum, seu ex parte & secundum dilationem, sicuti hîc tradit *Abbas num. 4.*

CAPITVLVM XLI.

Secundo.

PARAPHRASIS.

Quæsierat aliquis ex Cælestino III. Si Pontifex plures articulos causæ alieni commiserit, sed vni tantum articulo adiecit, ut definireretur, remota appellatione, num pais saltem super aliis articulis appellare possit.

Ad hoc resp. Cælestinus, eūdem secundum B. Gregorium primum Papam (*l. 26. in Job. c. 7.*) verba intentioni deseruire debeant, atque hæc sit intentio Pontificis, ut in omnibus articulis, qui in commissione continentur, iustitia suum effectum consequatur, idè in omnibus articulis censi debet appellatio remota, quia nihil interest, num appellatio inibeatur in principio semel aut iterum, in medio, an in fine; quia utriusque jure colligitur, ea, que in principio sunt ad medium & finem, & illa quæ in medio sunt ad finem & principium sæpè referri contingit.

S V M M A R I V M.

1. In quavis dispositione intentio magis disponemis, quam verba considerari debent.
2. Si per rescriptum plures articuli inter se

connexi committantur cum clausula: Remotâ appellatione, vni eorum adiecta, intelligitur de omnibus.

Si articuli sint non connexi, & clausula illa in principio aut fine sit posita, referenda ea est ad omnes, si inter capitula seu in medio ad precedentia tantum referri debet.

3. Recusans iudicem delegatum tanquam suspectum, causam suspicionis alligare debet coram iudice recusato, & probare eoram arbitris.

NOT. I. In quavis dispositione intentio potius disponemis quam verba considerari debent: nam verba inferuiunt intentioni, tanquam signa subordinata, cū sint notæ passionum, seu intentionum in anima, sicuti Aristoteles docuit, consequenter, si de intentione constet, de verbis, quibus usus est disponens legem, aut præceptum ferens, solliciti esse non debemus, qua de re dixi in *l. 1. tr. 4. c. 19.*

NOT. II. Si vnum negotium principale commissum sit, & vni eius articulo adiecta clausula, appellatione remotâ procedas, ea etiâ de reliquis articulis intelligi debet, idque propter connexionem articulorum, quam habent in vna causa principali; sin autem diversi articuli sint, & non connexi seu dependentes inter se, tum refertur num clausula posita sit in principio aut fine rescripti, tunc ad omnes articulos refertur. *l. 3. §. filius. ff. de liberis. & posthumis.* Et *c. Inquisitioni. h. t.* vbi dicitur: quod clausula posita ante omnia Capitula, vel post, ad omnia referatur; an verò posita sit clausula inter capitula seu in medio, tum ad precedentia tantum referri debet. Exemplum est, si clausula transactioni adiecta sit in principio & fine, per quam omni remedio rescindendæ transactionis renuntiatum sit, extenditur clausula ad omnia Capitula, præsertim si in fine posita fuerit secundum Regul. *DD. in l. 1. ff. de liberis præturiis*, quod clausula in fine posita referatur ad omnia antecedentia, sin autem vni articulo transactionis clausula apposita fuerit, ita ut sit veluti pars eius, vel si post plures articulos

los subiecta sit, tunc nisi ex adiunctis aliud intelligi possit, ad præcedentia tantum, non sequentia capitula referetur.

S. Tertio.

SI quis contra Judicem delegatum obiiciat, quod eum suspectum habeat, causam suspicionis allegare debet, tunc nisi omnino friuola appareat, Judex delegatus cogere potest partes, ut in aliquos, qui non multum remoti sunt, tanquam arbitros compromittant, ita ut si coram his causa suspicionis intra terminum temporis ab ipsis definitum probata non fuerit, tum idem Judex procedere possit; sin autem causa probata, Judex cognitione superfedere debebit, quandoquidem ratio dicat, quod suspecti & inimici Judices esse non possint.

De hac re dictum est in *c. Suspicionis. 39. de officio delegati. & in D. de jurisdict. Ordinarum. concl. 40. & 41.*

CAPITULUM XLII.

An deferendum.

PARAPHRASIS.

Titius cum animaduerneret Caium paratum esse ad spoliandum ipsum, appellauit, ne quid attentaretur, sed Caius posthabita legitima appellatione, nihilominus spoliavit. Tunc Titius contra ipsum actionem instituit, offerens se ad spoliationem in continenti probandam. Verum contra hoc etiam Caius appellat:

Resp. Pontifex hoc casu appellationem Caii recipiendam non esse, cum in eo puniendus aliquis sit, in quo deliquit, & qui appellationi deferre neglexit, is appellationis beneficio indignum se reddit.

SUMMARIUM.

1. *Non est audiendus appellans in eodem negotio, in quo ipse ante appellationi legitima non detulit.*

Not. Vnic. Si quis aduersarii sui legitima appellationi non detulerit, postea

audiendus non est, si ipse in eodem negotio appellare velit. *c. Constitutus. 17. h. t.* non enim adiuuatur edicto, qui contemnit edictum, & frustra legis implorat beneficium, qui deliquit aduersus legem. *c. 1. de immunitate Ecclesiarum. & c. quia 14. de usur.* Cum enim in ea causa puniendus sit, ideo adiuuandus & fouendus non est, ne inde commodum consequatur, unde poenam meretur.

Nota autem I. Quod dixi, si legitima appellationi non detulerit, sin vero illegitima & friuola fuit, non idcirco jus suum indefensum relinquere debet pars altera, sed processum petere potest, & postea, si opus sit, appellare *arg. l. Illud. 40. ff. de petitione heredit.*

Not. II. Quod dixi: in eodem negotio siue causa; at vero in alia causa appellatio recipienda est, tamen si qui appellat indiuerfa causa, pendente appellatione quidpiam innouarit *arg. c. dilectus. 55. h. t. & docet Abb. hic. n. 4. ubi ait: doctrinam huius Capituli procedere, si duæ appellationes interponantur circa idem negotium, secus si circa diuersa & non habentia inter se ordinem. Nam hoc casu puniri debet, qui post appellationem legitime interpositam quidpiam mutauit, non autem idcirco prohiberi quominus in alia causa legitime appellet, consentit eum his doctrina *Innoc. in c. Intelleximus. in fine de adulteriis*, quod delictum vnus delictum alterius promouere & fouere non debet.*

CAPITULUM XLIII.

Novit.

PARAPHRASIS.

Innoc. III. mandauit legato à latere ut aduersus terram Regni Galliarum interdictum promulgaret, quod & fecit non obstante appellatione, quam Rex fecit, prætendens legatum ipsi suspectum esse, hoc cognito Resp. Inn. quod Legatus edictum non edidit, sed promulgauit; nec fuit dictator eius, sed magis executor; cum itaque secundum iura ab executore appellari non possit, nisi modum in exequendo excedat, sequitur

tur, quòd appellationi Regis deferenda non fuerit, præsertim cùm in commissione facta Legato clausula adiecta sit, appellatione remota; quod verò attinet ad suspicionem, quæ obiciebatur, non existimat Papa Legatum meritò suspectum fuisse, sed etsi ponamus fuisse, tamen non debuit ab executione cessare propter interpositam appellationem, cùm non proprio motu, sed ex Pontificis mandato processerit.

Casus huius Capituli intelligetur plenius ex *c. 2. de postulatione Pralatorum & c. nonis de off. leg.*

S Y M M A R I V M.

1. *Edere legem & edictum, est authoris; promulgare, potest esse simplex ministerium.*
2. *Ab executore mero non potest appellari, nisi modum mandati vel commissionis sua excedat.*
3. *Potest ab executore appellari, si mixtus sit, vel asserat se esse executorem, & mandatum in scriptis sufficienter & indubitare non exhibeat.*
4. *Merus executor recusari non potest tanquam suspectus.*

1 **N**OT. I. Aliud est edere & aliud promulgare legem vel edictum: nam edere est authoris; promulgare simplex ministerium continere potest:

2 Not. II. Ab executore mero appellari non potest, nisi modum mandati ac commissionis suæ excedat, *l. Ab executione s. C. Quorum appellationes non recipiuntur.* Et dixi in *c. Quod ad. 15. de sent. & re jud.*

Ratio est, quia merus executor non habet cognitionem, sed meram sententiæ iam late executionem, vel itaque à lata sententia appellari potest, tunc appellatio non tendet aduersus executorem, sed aduersus iudicem mandantem, vel appellari non potest, tunc executio, cùm sit effectus sententiæ, impediri non debet, quòd si verò executor limites commissionis excedat, tum extrajudicialiter grauat, ideòque ab eo appellari potest; Etenim qui excedit, aliud quid facere videtur, quàm ei commissum sit.

Addendum quoque, si is, qui executorem se asserit, mandatum in scriptis sufficienter & indubitare non exhibeat, appellari ab eo posse, sicuti habetur in nouis Rotæ Romanæ decisionibus. *tit. de appell. decis. 45. alias. 346.*

Loquimur autem de mero executore: nam alia ratio est de mixto, vt si summus Pontifex mandet alicui beneficium conferri, per rescriptum in forma dignum, & super eo executorem det; Iste exceptiones, si quæ à contradictore opponuntur, recipere debet, ideòque ab eo appellari potest, cùm cognitionem aliquam habeat, sicuti ex communi docet Garcias de beneficiis *p. 6. c. 2. n. 111.*

Not. III. Merus executor recusari non potest tanquam suspectus. Ratio est: quia nihil agit ex se seu motu proprio, sed omnia ex mandato committentis, & ided non ipse facere censetur, quæ facit, sed potius qui mandauit *c. Cum aliquibus. 4. de rescriptis in 6. iuncta gl. verb. autoritate.* Veruntamen si non omnino certum ac limitatum mandatum habeat executor, sed quædam ex eius arbitrio dependeat, si v. g. testes audire debeat ac referre, tali casu grauari potest, ideòque recusationi locus est, sicuti *Abb. hic monet. n. 7.* vbi rectè etiam ait: quòd executor in beneficialibus recusari potest, quia is debet possessore beneficii citare, eiusque exceptionem & oppositiones recipere, & ideò grauari potest, consequenter locus est recusationi, sicuti & appellationi, vt supradictum.

CAPITVLVM XLIV.

Sapè.

P A R A P H R A S I S.

Accidit non rarò, vt, qui à iudicis sententia appellauit, nec per se, nec per Procuratorem idoneum appellationem prosecutus sit, vel ob malitiam Procuratoris mandatum procuratorium occultantis, lites indecisæ manserint; cùm tamen facile terminari potuissent; quia, si juris quæ-

quæstio mota sit, eius probationes necessariz nõ sunt, sin facti quæstio agitata, probationes in præsentia partiũ plerumq; facile afferuntur. Et si verò sub Alex. III. (c. *Reprehensibilis*. 26. b. t.) decretũ fuerit, vt, si aliquis in causa quacunq; appellauit, & appellationem profecutus non sit, aduersario; si is aduenerit, expensas soluat; quia tamen controuersiaz nihilominus prorogantur, Innoc. III. hic decernit, vt, si appellatio, vel à Iudice à quò, recepta sit, vel approbata à partibus, terminus appellanti præfixus vires peremptorii obtineat, ita vt ex eo tempore perinde procedatur contra absentem; ac si peremptoriè citatus ad iudicium non venisset, sin verò contingat, vt appellatio per malitiam non recepta, vel non approbata sit, constet tamen legitimè interpositam fuisse, nihilominus ea vigorem suum obtineat. Interim verò salua manere debet constitutio ab eodem Alexandro edita (c. *Cum sit*. 5. b. t.) vt appellante appellationem suam intra terminum definitum non prolequente, sententia, quæ per appellationem suspensa erat, rata tum sit. Porro in priore casu, si post terminum elapsum appellans adueniat, iustumque impedimentum seu causam absentiaz ostendat, vires peremptorii euitare potest. Denique si quis terminum vel à partibus, vel à Iudice definitum præueniens rescriptum super ea causa ad Iudicem delegatum impetrauerit tacita veritate, seu termini designati mentionem nullam faciens, impetratis literis carere debet, & pœnam contumaciæ sustinere, & hæc, quæ dicta sunt, in litibus seu iudiciis exercendis obseruari debent.

S V M M A R I V M.

1. Procurator destinatus ad iudicium, mandatum procuratorium occultare non debet. Cogi potest, vt illud, & literas de rato exhibeat.
2. Si appellatio recipitur, causa ad curiam deuoluta censetur, ita vt appellans eò causam suam deferre debeat.

3. Positiones & allegationes juris non sunt necessario probandæ, neque ad eas aduersarius respondere cogitur.

4. Terminò appellationis finito, & altera parte tantum adueniente, contra absentem tanquam contumacem procedi potest absque alia citatione.

5. Notoriè contumax audiri amplius non debet; secus est si contumaciam excusare velit.

Not. I. Procurator destinatus ad Iudicium non debet mandatum Procuratorum occultare, quare cogi potest, vt mandatum & literas de rato exhibeat arg. l. *Si Procuratorem*. 65. ff. de Procur.

Not. II. Si Iudex appellationi detulit vel aduersarius eam approbavit, causa ad Curiam deuoluta censetur, quare appellans per se, vel Procuratorem, totam causam ad Curiam deferre debet. c. *Interposita*. 70. §. *id. b. t.*

Not. III. Positiones & allegationes Iuris non sunt necessario probandæ, sed neque ad eas aduersarius respondere cogitur, cum earum veritas aut falsitas Iudici, præsertim supremo, qui iura omnia in scrinio pectoris gerere censetur. c. 1. de *constit. in 6.* nota esse supponatur. Vti notauit *gl. in c. ult. verb. causa de confess. in 6.* Nihilominus si petatur dilatio ad iuris allegationes faciendas, eadanda est, vt sumitur ex *authent. iubemus. C. de iudiciis*, & videri potest *Alex. hic. n. 18.*

Not. IV. Si terminus prolequendæ appellationis finitus sit, tum altera parte adueniente Iudex contra absentem tanquam contumacem absque alia citatione procedere potest, perinde ac si peremptoria citatio elapsa esset, & debet id intelligi non tantum de appellante sed etiam de appellato, si venire intermittat, secundum *gl. receptam. hic. verb. absentem.*

Not. V. Tamen si contumax audiri amplius non debeat, si contumacia nota sit, tamen audiri debet, si contumaciam excusare velit, seu ostendere, se contumacem non fuisse, iusto non veniendi allegato & probato impedimento, idque verum, est, siue loquamur de contumacia, quæ per Iudicem indu-

inducta est, siue quæ per legem, ita *text. hic. verb. quidquid.*

CAPITVLVM XLV.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Vacante Decanatu Ecclesiæ Claremontanæ, Canonici in Episcopum compromiserunt, qui Archi-Diaconū pluribus sibi consentientibus Decanum constituit, tametsi aliqui Canonici contradicerent, ne quisquam eligeretur, nisi omnes assentirentur, cū autem illac transiret Cardinalis à Latere, causam hanc quibusdam delegauit, non vt appellationi interpositæ derogaret, sed vt causam instructam ad Pontificem mitteret. Insuper mandauit delegatis, vt partem, quæ electioni contradiceret, ad ipsum legatum mitterent, ad exponendam contradictionis, appellationisque causam. Hæc cū peruenissent ad Innoc. III. Respondit se ex relatis intellexisse, sub ea forma appellatum fuisse, ne absque omnium assensu Decanus eligeretur, sed appellantes anni spatio appellationem profectos non esse, neque causam extitisse biennii ipsis concedendi, quia, qui bis nuntium Romanam destinauerunt, vel semel Procuratorem idoneum mittere potuissent. Verū ne peremptorias appellationum exceptiones reuocare videatur, mandat Iudicibus à se delegatis, si ipsis constiterit, Archi-Diaconum Episcopi facto, super quo eius intentio fundatur, sponte renuntiasset, vel Episcopum ad electionem processisse iis omisis, sine quibus, ne procederet, in compromisso fuit, dicto Archi-Diacono silentium imponant; alioquin verò electionem alterius, & quidquid ex eadem subsequutum fuerit, irritum declarent.

S V M M A R I V M.

1. *Compromitti potest in personam etiam vnam, & que non est ex corpore Capituli.*

2. *Compromitti potest eâ conditione ac formâ vt compromissarii personam eligant, in quam omnes capitulares, exquisitis ipsorum voluntatibus consenserint; quod tamen in electione per scrutinium fieri nequit.*

3. *In causis in quibus iudex ex officio procedere potest, licet appellatio deserta sit, aut sententia transferit in rem iudicatam, superior nihilominus merita causæ cognoscere potest ex proprio motu ratione officij sui.*

4. *Legatus à latere causam in qua appellatum, examinare potest, non vt appellationem impediatur, sed vt causam instructam ad Sedem Apostolicam mittat.*

5. *Ob periculum scandali in casu aliquo etiam causam talem Legatus definire potest.*

NOT. I. Compromitti potest in personam etiam vnam, & que non est ex corpore Capituli. *c. Causa. 8. de elect. & dixi in D. de Prælatiis. q. 84.*

NOT. II. Compromitti potest ea conditione ac formâ, vt compromissarii personam eligant, in quam omnes capitulares, exquisitis ipsorum voluntatibus, consenserint, ita *Abb. Alex. & alii in gl. verb. omnium.* Sed de electione per scrutinium non possunt Capitulares hoc decernere, vt aliter non valeat, nisi omnes consentiant, aut vt valeat, tametsi maior pars totius numeri præsentium non consenserit, propterea quod electioni huic certa forma præscripta sit, quæ substantialis censetur. *c. Quia propter. 43. de elect.*

NOT. III. In causis electionum, aliisque beneficialibus, in quibus superior ex officio procedere potest, & non tantum ad instantiam partis, tametsi appellatio deserta sit, aut sententia transferit in rem iudicatam, tamen superior nihilominus merita causæ cognoscere poterit ex proprio motu ratione officij sui; quo modo ait *gl. in c. Cum nobis. 19. verb. ex officio de elect.* et si nihil obiiciatur electo, tamen qui confirmat electionem, debet inquirere de modo electionis, an sit Canonice facta & persona idonea sit, similiter docuit *Franc. hic. not. 1.* quod negligentia partis & desertio appellationis non præ-

præiudicat officio Iudicis & not. 2. Quod causa beneficiæ nunquam transit in rem iudicatam. c. Cum olim. 7. de dolo.

Not. IV. Legatus à latere, cum vicem Summi Pontificis specialiter repræsentet, causam, in qua appellatum est, examinare potest, non vt appellationis cursum impediatur, sed causam instructam ad Sedem Apostolicam transmittat, idque esse speciale in legato, ait Abb. hic. n. 10. & addit Hostiens. hic. quod Legatus in aliquo casu ob periculum scandali causam etiam definire possit.

CAPITVLVM XLVI.

Constitutis &c.

PARAPHRASIS.

Vacante Præpositurâ Saluatoris, constituto electionis die Episcopus Metensis adiurauit Canonicos, vt vnum ex duobus, in quos electores oculos intendere videbatur, quem Ecclesiæ magis vtilem & idoneum censerent, Præpositum eligerent. Tum Decanus cum quibusdam aliis Cantorem nominauit; at verò ipse Cantor cum aliis pluribus Cancellarium Metensem elegit, eamque electionem tanquam à maiore & saniore parte Capituli factâ, Episcopus, cum de electæ personæ honestate constaret, confirmauit. Postea verò cum secundum morem, domum & investituram dare vellet, Decanus ad Pontificem appellauit, id solum allegans, quod Cancellarius in ijs partibus impotens esset ad possessiones Præposituræ defendendas, adijciens plura se obiecturum coram Papa, quæ nollet proferre coram Episcopo. His cognitis respondit Innoc. III. Cum manifestum sit, causam illam, quæ erat expressa, rationabilem non esse, alia autem tunc expressa non fuerit, ided confirmationis effectum impediti non posse; siquid tamen Decanus non per modum exceptionis ad impediendum effectum electionis & confirmationis, sed per modum denuntiationis, aut accusationis proponere velit, audiendus erit, postquâ

Cancellarius pacificam Præposituræ possessionem assecutus fuerit.

SUMMARIUM.

1. Superior potest electores iuramento adstringere, vt eligant quem ex gremio Ecclesiæ suæ magis idoneum & vtilem iudicauerint.
Peccant nisi talem eligant. Valet tamen electio, omisso digniore, si modò dignus eligatur.
2. Is cuius morum honestas, aut doctrina nota est, examinandus per se loquendo non est.
3. Defectus potentie & diuitiarum non imedit personæ alias dignæ electionem ad dignitatem, nisi in casu raro, quo necessaria foret pro defensione Ecclesiæ contra hostes persona potens.
4. Si electus confirmetur, nullo contradicente, appellatio admitti non debet, nisi allegatâ causa rationabili.
5. Legitimè confirmatus, aut qui beneficii collationem accepit, potest possessionem capere, neque admittenda est exceptio, nisi sit de crimine iuncto cum infamia, vel sit defectus proprietatis, aut in continenti probari possit.

NOT. I. Superior potest electores iuramento adstringere, vt eligant eum ex gremio Ecclesiæ suæ, quem magis idoneum & Ecclesiæ vtilem iudicauerint: nam ad id obligantur, & nisi talem eligant, peccant, teste Abbate hic. n. 7. Franc. colum. 2. Sed valet nihilominus electio, dummodo idoneus sit, qui eligitur, licet alius, qui prætermittitur, sit magis idoneus. vti docui l. 4. rr. 2. c. 15. q. 1.

NOT. II. Si nota sit alicuius morum honestas aut doctrina, tunc examine opus non est per se loquendo, frustra enim adhibetur indagatio eius rei, quæ in aperto, seu cognita est. arg. c. 2. dist. 24. vbi gloss. ait: quod notum non sunt examinandi sed ignoti.

NOT. III. Defectus potentie, ac diuitiarum, si persona alioqui digna sit & idonea, non impedit, quo minus ad dignitatem eligatur; præterquam in raro casu, si talis sit alicuius Ecclesiæ status, vt aduersus hostes defendi non possit, nisi persona potens præ-

z z z

ficia-

ficiatur, sicuti *Abbas hic monet. num. 11.*

4. Not. IV. Si electus confirmetur nullo contradictore comparente, adeoque præmissa cognitione causæ non plena sed summaria, appellatio admitti non debet, nisi allegata causa rationabili. Ita *Ioan. Andr. in c. Avaritia. de elect. in 6. Franc. l. Circa. glos. verb. aliam.*

5. Not. V. Si quis à legitimo Superiore confirmatus sit, aut beneficij collationem acceperit, consequenter etiam possessionem capere potest, neque admittenda est exceptio, nisi sit de crimine juncto cum infamia. *c. Accedens. 23. de accusat. vel si defectus proprietatis manifestus sit, aut in continenti probari possit. v. g. electores aut confirmatorem non habuisse potestatem, vel collationem impetratam fuisse per literas falsas iuxta gloss. in c. primo. verb. contentionem. de restitutione spoliat. & tradit hic Alex. n. 43. Franc. col. penult. ex l. 3. §. ibidem. ff. ad exhibendum. Vbi Bartol. tradit, quòd in causis summaris exceptiones altiore indagine requirentes non admittuntur, sed ad causam principalem referuntur. Insuper aiunt DD. citati, tamen probatio exceptionis statim offeratur, tamen audiendam non esse, si præsumptio sit contra excipientem, quòd malitiosè opponat secundum gloss. hic verb. in modum except. nihilominus audiendus postea erit, si actionem contra possessorem instituire velit, uti ex hoc cap. apparet.*

CAPITVLVM XLVII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quotiescunque Iudex aliquem ad iudicium citat, exceptio opponi potest, quòd securus ad locum accessus non sit; si exceptio ista à Iudice non admittatur, citatus appellare potest, nil obstante, quòd causa delegata sit, remota appellatione, præterquam si Iudex alium locum idoneum & securum designet.

SUMMARIUM.

1. Iudex si partibus non assignet iudicii locum,

tutum, appellari potest, etiam post litem contestatam.

2. Citatus autem allegare & probare debet locum non esse tutum, nisi notorium sit.

3. Limitatur prædicta doctrina.

Notand. Vnicum Iudex ad locum Iudicii citare debet, quo citatus, eiusque Procurator, aduocatus item & testes, securè ac sine periculo accedere possunt. *c. Siue. 4. causa. 33. q. 2.* Et nisi locus idoneus & securus assignetur, appellari potest teste *gl. ibidem.* idque extendi debet, ut appellationi locus sit, quotiescunque citatio fit ad locum non tutum. v. g. peste infectum, tamen si prima & altera vice appellatum non sit, etenim Iudex iterum citando, de nouo grauat, *arg. huius c. verb. quoties.* Et videti potest *Gail. l. 1. obseru. 52. n. 3.* ubi addit: licet exceptio loci non tuti dilatoria sit, tamen quotiescunque tempore opponi posse, etiam post litem contestatam, quia habet grauamen successiuum, teste *Felin. in c. Accedens. 4. n. 13. ut lite non contestata.* Et iterum ait *Gail. n. 7.* quòd omnia banna ob contumaciam in non comparendo inflicta, ipso iure nulla sint, & executionem non mereantur, quia nemo se periculo exponere tenetur. *c. de Cler. non resid. in 6.*

Veruntamen citatus allegare debet, locum non tutum esse, nisi id notorium sit, quin etiam probare debet, accessum non tutum esse propter generalem regulam sumptam ex *c. Ex parte. 7. de testibus.* quòd Iudex credere non tenetur, si quid opponatur, quòd eius iurisdictionem impediatur, nisi probetur.

Excipe 1. Si Iudici notum sit, locum non esse tutum, sufficit allegare & appellare. *arg. c. Si duobus. 7. h. t. nam qui scit, certior reddi non debet. reg. 31. in 6.*

Excipe 2. Si in tali casu, in quo nec per se notorium, nec Iudici notum est, citatus ipse in eum accedere non possit, tunc Procuratorem, aut excusatorem mittere debet *arg. c. Cum dilecti. 6. junct. gl. verb. responsalem. de dolo. sin neminem absque periculo mittere possit, tunc in præsentia bonorum viro-*
rum

rum protestari & appellare consultum est. c. ult. h. t.

Excipe 3. Sed & saluus conductus in tali casu recipiendus erit, si offeratur. Verum is securitatem non semper præstat, sicuti gl. finalis hinc monet, & habetur in c. 4. ut lite contestata. Quare Gail. ait n. 6. quod fragilis sit cautio salui conductus.

CAPITVLVM XLVIII.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Fratres Hospitalis Eboracensis vacante Rectoriâ elegerunt B. Presbyterum in Rectorem seu Magistrum Hospitalis, quem Archi-Episcopus Eboracensis, prout sibi competere assererat, confirmauit & instituit, sed postea Decanus & Capitulum cathedrale se opposuerunt (quia dicebant institutionem ad ipsos pertinere) impetrarunt à Pontifice literas ad Iudices delegatos. Hi cum partes citassent, Procurator Capituli seu Actor accessit, adferens literas, quæ eo sigillo obsignatæ erant, quo Capitulum uti solebat, ad citationes tantum, cum tamen ad alia instrumenta & literas aliud sigillum habeat; Tum Magister Hospitalis obiecit actorem illum vigore harum literarum admitendum non esse; adiecit quoque se jam antè per alias literas ad alios Iudices fuisse tractatum, & idè per posteriores, in quibus priorum nulla mentio fit, conueniri non posse, cum autem Iudices has exceptiones non admitterent, ipse appellauit. Quare mandat Innoc. aliis à se delegatis, si ipsis constiterit ob causas dictas vel vnam earum, appellatum fuisse, ut in irritum reuocent, quidquid factum post appellationem.

SUMMARIUM.

1. Procurator ad lites procuratorium mandatum exhibere debet, ita ut certò constet, non esse supposititium, sed datum à principali.
2. Sigillum ad certum usum adhiberi solitum,

si ad alium postea adhibeatur, non censetur esse authenticum.

3. Excusatur debitor, si tradat pecuniam debitam famulo, vel alteri offerenti monitorias de solutione, quo aliàs saepe usus est creditor ad debita recipienda.
4. Si aliquis est debitor generis, v. g. ex mutuo, & debita pecunia transmissa pereat sine culpa illius, illi perit, non creditori, secus est si debitor sit species v. g. ex empto, commutato.

NOT. I. Procurator ad lites Procuratorium mandatum exhibere debet, ita ut certo constet, non esse supposititium, sed datum à principali. *argumento. Clem. 1. de Procuratoribus. & tradit hinc Franc. not. 1. ubi ait: mandatum ex eo probari, si constet esse scripturam mittentis.*

NOT. II. Si sigillum ad certum usum adhiberi solitum postea ad alium adhibeatur, non censetur esse authenticum, seu quod certam fidem mereatur, quia in talibus rationabiliter attenditur ad consuetudinem mittentis seu mandantis, teste *Abb. h. n. 7.* Ex quo colligit idem & *Franc. col. 1. Bart. in l. Si quis uxori. §. Apud Labionem. ff. de furtis.* si quis, v. g. anulum suum tradere soleat famulo, ut ipsi fides habeatur, rectè & securè ipsi credi posse, tale signum afferenti, nisi in aliquo casu præsumptio contraria esse possit, ut, quia est res grauis momenti, vel probabiliter subtraxisse anulum creditur, qui eum affert.

Corollarium. Si aliquis famulum, alium uè nuntium misit, per quem sæpius consuevit debita sua recipere & sibi afferenda mandare, tunc debitor excusari videtur si ei comparenti & literas afferenti monitorias de solutione, pecunias debitas, v. g. ex mutuo, censu &c. tradat. Tamen enim nuntio debitum securè non reddatur, si mandatum affert tantum ad admonendum, non recipiendum. *l. Si mei. 12. ff. Commodati.* excipi tamen debet, nisi Dominus sollicitus sit eo nuntio ut ad debita recipienda, teste *Franc. hinc. col. penult. Bart. in supra citato §. Apud Labionem. ff. de furtis.*

Præterea distingue ex eorundè doctrina:

z z z z

num

num aliquis sit debitor generis, v.g. ex mutuo. Hoc casu, si pecunia, v.g. transmissa sine culpa debitoris pereat, ipse damnum ferret, aliamque pecuniam soluet, quia genus perire non potest, *arg. l. Incensium. 11.* (si certum petatur; vbi aiunt DD. quod casus fortuitus non liberat debitorem generis; præterquam si creditor voluerit, aut iusserit certæ personæ dari, tunc enim periculum in se suscepisse, aut ipsi per eandem personam dominium acquisitum censetur, juxta ea, quæ *sup. dixi.*

An verò aliquis sit debitor speciei ex Empto, commodato, deposito, tunc creditori perire debet, si casu & sine culpa debitoris perit, vt, quia noto nuntio, qui communiter fidelis iudicabatur, rem deferendam tradidit *l. Argentum. ff. Commodari. & doctui. l. 3. tr. 4. c. 7. ass. 2.*

CAPITVLVM XLIX.

Significantibus.

Textus huius Capituli iisdem verbis habetur in Capitulo secundo de libelli oblatione, vide quæ ibi dicta sunt.

CAPITVLVM L.

Ex insinuatione.

PARAPHRASIS.

Cum inter Priorem & Canonicos S. Barbaræ ex vna parte & V. Camerarium ex altera, controuersia super quodam fundo coram Iudice ordinario agitaretur, Camerarius ad Papam appellauit, tunc Iudex, qui causæ Camerarij fauere videbatur, eò quod Aduocatus Camerarij esset commensalis suus, terminum statuit, vt ad Festum Purificationis vtraque pars à prosecutione appellationis reuersa esset, quod tamen Iudex iste facere non poterat, vt legem Pontifici præscriberet, quandoquidem etiam secundum leges Cæsareas, si lis intimata sit, in Consistorio Principis, mora litigantibus non obsit, donec

ipsam recipi, & à Proceribus dirimi iubeat, insuper quoque Camerarij nuntius præueniens Nuntium partis aduersæ non expectato termino præfixo literas Apostolicas impetrauit & recessit, cum itaque dolus & fraus nemini patrocinari debeat, ideò mandat Innocentius quibusdam, si ita esse cognouerint, vt ipsi vocatis partibus causam definiant.

S V M M A R I V M.

1. Iudex à quo, non potest iudici ad quem terminum præscribere recipienda & finienda causa.
2. Sed terminus quem præfigit, est de tempore intimanda appellationis.
3. Pars litigans terminum præfixum expectare debet, nec literas à iudice ad quem impetrare potest, quibus remittatur causa, nulla facta mentione termini.
4. Fraus & dolus nemini patrocinari debet.

NOT. I. Iudex à quo, non potest iudici ad quem legem præscribere, aut terminum, intra quem causam recipere & definire debeat, vel datis literis in Provinciam remittere; cum non possit aliquis alienæ, & quidem superiori iurisdictioni se immiscere, sicuti dixi in *cap. Personas. 4. h. t.*

Corollarium. Si Iudex à quo, terminum præfixit, explicari debet, de tempore intimanda appellationis, ita vt ante lapsum termini, litem in consistorio Iudicis ad quem insinuare debeat, iuxta authenticam, *sed si lis C. de temporibus appell.* nam Iudex terminum præfigendo, intra quem causa definiri debeat, duo mandare censetur, videlicet vt appellationem prosequatur, siue insinuet, & vt finiat, tamen itaque posterius iubere non possit, cum non in eius arbitrio sit, potest tamen prius iubere, eique obtemperari debet, quia vtile per inutile vitari non debet, si inter se separabilia sint, *Reg. 37. in 6.* Et enim uniuersum loquendo, hæc videtur esse cuiusque intentio, vt, si actus, quem gerit, valere non potest totaliter, valeat saltem partialiter, seu quatenus potest valere, prout *Gl. hic. verb. expectato* allegat dictum vulgatum, si non valet quod ago, valeat quatenus valere

lere potest. *arg. c. 1. de desponsatione impuberum. § idem in 6. ubi habetur: si impuberes matrimonium contrahere velint, cum non possint, erunt sponsalia.*

3 Not. II. Pars litigans terminum præfixum expectare debet, neque literas à Iudice ad quem impetrare potest, quibus causa remittatur, nulla facta mentione termini. Vide *cap. Sepè, 44. h. t.*

4 Not. III. Fraus & dolus suus nemini patrocinari debet, consistebat autem dolus Camerarij in eo, quòd curauerit sibi brevem terminum assignari à Iudice à quo, & cum nihilominus præveniens literas impetravit à Iudice ad quem.

CAPITVLVM LI.

Bonæ memoriæ.

PARAPHRASIS.

Mortuo O, qui personatum in Ecclesia F. obtinuerat, Abb. Monasterij S. August. Cantuariens. eiusdem Ecclesiæ F. quam ad se pertinere dicebat, possessione primò per Monachos suos, deinde per seipsum ingressus est, & aliquoties ad Pontificem appellavit, ne quisquam eum super possessione molestaret. Verùm cum aliquandiu in possessione esset, laici quidam Cantuar. Diocesis ipsum & Monachos per vim eiecerunt, postea verò Archidiaconus Ecclesiæ eius possessionem accepit, contra quem Abbas controversiam proposuit Innocentio III. petens se in possessionem, à qua post appellationem deiectus erat, restitui. At verò Procurator Archidiaconi ex aduerso attulit, quòd secundum consuetudinem Diocesis custodia tum eius, tum aliarum Ecclesiarum vacantium ad ipsum pertineat. Deinde quòd Abb. & Monachi possessionem veram non habuerint, quandoquidem duo simul rem eandem in solidum possidere nequeunt; ipsemet autem Archidiaconus possessionem civilem animo retinebat; quia defunctus O. Ecclesiam F. nomine Archidiaconi possederat, si-

quidem annuatim vnã procuracionem & quinque solidos pendeat. Exinde colligi dicebat, quòd Abb. & Monachi corporalem tantum & clandestinã detentionem habuerint, quamobrem Archidiaconus ipsos ad defendendam possessionem suam per vim eiecere potuisset absque iniuria; quamvis id non fecerit, sed tantum possessionem sibi competentem accepit. Appellatio quoque nullius momenti est, quia non nisi à grauamine præsentis, præterito, aut futuro appellari potest; Archidiaconus autem nec ante, nec post appellationem Monachos grauauit, cum solum Ecclesiam, sicuti debebat in custodiam receperit, sed & ideò Monachorum appellationi deferendum non erat; quia, etsi Ecclesia ad eos pertinuisset, non propriã auctoritate, possessionem capere debuissent; quare cum clandestini, non veri possessores fuerint, non poterat eis iniuria super possessione irrogari. His in vtramque partem propositis, Innocent. Abbatem & Monachos in eum statum, in quo erant tempore appellationis, quæ ex probabilibus causis interposita fuit, mandat reduci, & temporis intermedij fructus eisdem restitui, iure proprietatis vtrique parti saluo manente.

S Y M M A R I V M.

1. Abbas per Monachum possessionem rei capere potest, vti Dominus per seruum.
2. Per consuetudinem introduci potest, vt custodia & administratio Ecclesiæ vacantis ad Archidiaconum spectet.
3. De iure communi, ad quem pertinent bona eiusmodi Ecclesiæ vacantis Cathedralis, Collegiata secularis, regularis, vel parochialis.
4. Appellatione generatim interposita, si quid immutarum sit, v. g. per spoliacionem, agi potest per viam attentati aduersus attentantem, & quemlibet seu bonæ, seu malæ fidei possessorem.
5. Idem est, si appellatio facta sit specialiter contra certam personam, & certius ab ipso causam habuerit, vel ab alio.

6. *Via attentati uberius remedium est, quam interdictum recuperanda possessionis, si spoliatio secuta sit appellationem.*

1 **Not. I.** Abbas per Monachum possessionem rei capere potest, sicut Dominus per servum *l. 1. §. item acquirimus. ff. de acquirenda possessione, & notant hic Abb. Franc. & alij.*

2 **Not. II.** Per consuetudinem introduci potest, ut custodia & administratio Ecclesie vacantis ad Archidiaconum pertineat, sed spectato communi iure ita distinguunt hic *Abb. Alex. n. 11.*

3 **1.** Si sermo est de Ecclesia Cathedrali, vel ea habet œconomum generalem, tum in ipsius potestate & custodia manent bona relicta ab Episcopo decedente, *cap. Illud. 47. iuncta gloss. verb. Economi. 12. quest. 2. & cap. Non liceat. 48.* Ead. quest. ubi excipitur, si nulli Canonici in Ecclesia sint, tum ad Metropolitanum rerum custodiam spectare, sin autem generalis Œconomus non sit, tum Ecclesia vacante administratio & custodia rerum ad Capitulum Cathedrale spectat.

2. Si Ecclesia Cathedralis non sit, sed collegiata secularis, vel regularis, tunc, ea vacante, administratorem rerum ab Episcopo deputari posse, ait *Ioan. Andr. in cap. 2. num. 3. de testamen. in 6. & alij, quos citavi in Conclus. 132. de iurisditt.* Sed *Abb. Panormit. hic, n. 12.* existimat ad Conventum pertinere administrationem, quod etiam Innocent. indicavit *in cap. Cùm dilectus. n. 1. de consuet.* ubi ait: quod vacante Ecclesia Regulari, Monachi possint in iudicio agere, & defendere se super statu Monasterij, & Syndicum constituere. *arg. l. 1. §. 1. ff. Quod cuiuscunque vniuersitatis.* Et hæc sententia consuetudine fermè obseruatur, excepto casu, si Prælatus non exemptus propter malam administrationem remoueat, tunc Episcopus administratorem, donec alius succedat, constituere debet, *cap. Ea que. 1. §. quod si. Abb. de statu Monach. & notat hic Abb. num. 11.* rationem

dans: quia in hoc etiam conventus suspectus esse potest.

Deinde si in Monasterio non exempto nulli sint Monachi, nullum esse debet dubium, quin administratio & jus agendi pro iuribus Monasterij ad Episcopum spectet, sicuti ex dictis colligitur, & nemo negat.

Præterea excipiendum est, quod in quibusdam collegiatis Ecclesiis maximè Regularibus aduocatus, qui & vice Dominus dicitur, earum vacantium administrationem & custodiam gerat, donec alius Prælatus sufficiatur. Quæ consuetudo toleratur in *c. Generali. 13. de elect. in 6.*

3. Si Ecclesia collegiata non est, sed. v.g. Parochialis, cuius Rector mortuus, tunc si alicui Monasterio aut Præposituræ incorporata sit pleno iure, videlicet in spiritualibus & temporalibus, ad Abbatem, vel Præpositum pertinet administratio rerum, donec alius Vicarius Parochiæ substituatur, uti docui de Prælatis Ecclesiasticis q. 206. sin autem non est incorporata Ecclesia, tunc ordinariè ad eum spectat custodia & administratio eius vacantis, ad quem Rectoris institutio spectat, teste *gloss. in c. Cùm vos. 4. verb. aconomos. de officio Ordinarii.*

Ex quo rectè colligit *Abbas. hic. n. 11.* si in tali casu etiam Episcopatus, vel alia Prælatūra vacet, quod administratio & custodia Ecclesie inferioris ad Capitulum pertineat, cùm id succedat in omni iurisdictione & administratione competente ipsi Episcopo vel Prælato, ea maximè, quæ est necessitatis, seu dilationem non patitur, qua ratione *Abb. & Alexander* hic docent: quod Capitulum Episcopale sede vacante, licet liberas collationes, quæ ad Episcopum spectant, facere non possit, tamen interim ad commendam dare, vel œconomum ponere non prohibeatur.

Not. III. Si appellatio extraiudicialis generatim interposita sit, tunc, si quidpiam immutatum sit. v.g. per spoliationem, agi potest per viam attentati (ut rescindatur & res in statum pristinum restituatur) non tantum aduersus attentantem, sed etiam aduersus

versus quemlibet seu malæ seu bonæ fidei possessorem, iste est casus nostri Capituli.

5. Sed et si appellatio facta sit specialiter, contra certam personam, & tertius ab ipso causam habuerit. v.g. emerit bona quavis fide, agi tamen potest contra eum per viam attentati, vt Iudicis officio rescindatur, quod actum est. *l. Chyrogaphis. 47. §. Si ea. ff. de administr. vbi Gl. & Barr.* imò verò etiam procedit talis reuocatio attentati, tamen si tertius possessor bonæ aut malæ fidei causam non habuerit à Iudice vel à parte, sed ab alio quolibet, vti colligitur ex *c. Ex parte. vbi Imol. monet. h. tit.*

6. Ex quo colligitur remedium istud per viam attentati longè vberius esse, quam interdictum recuperandæ possessionis, si quis post interpositam appellationem spoliatus sit; etenim remedium illud attentati competit etiam pro rebus mobilibus, & contra successorem spoliatoris, nec opus est probare spoliationem, sed id solùm, quod actor tempore appellationis possederit, quæ omnia aliter se habent in interdicto recuperandæ seu vnde vi, sicuti videre licet in *D. restis. spoliator.*

CAPITVLVM LII.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Lis erat super quadam Capella inter Cantuariensem Archi-Episcopum & Priorem ac Monachos Cantuarienses, tunc Monachi duos ex Fratribus Romam ad Pontificem miserunt, quos nihilominus Archi-Episcopus post arreptum iter excommunicauit. Eo intellecto, Resp. Innoc. Cùm plus aliquid sit ad Sedem Apostolicam appellare factò quam verbo, Monachi autem hoc ipso quòd ob dictam causam ad Sedem Apostolicam accesserunt prouocare censeantur, ided mandatur quibusdam, vt Monachos excommunicatione non adstrictos esse denuntient.

SUMMARIVM.

1. Excommunicatio & quavis censura lata

post appellationem etiam extraiudicialem ipso iure irrita est.

2. Ordinariè, seu in aliis casibus attentata post eam non sunt ipso iure nulla sed rescindenda.
3. Sola itineris arreptio ad Superiorem vim appellationis extraiudicialis habet, cuius semper locus esse potest, cùm Superior per viam querelæ adiri potest, etiam citra omnem appellationem.
4. In appellatione judiciali licet sufficiat quouis verbo vel factò voluntatem appellandi exprimi, necesse tamen est, vt etiam tunc Apostoli petantur, aliæque requisiti ad appellationem judicialem ponantur.

Not. I. Excommunicatio & quavis censura lata post appellationem etiam extraiudicialem ipso iure irrita est. *c. Venerabilibus. 7. de sent. excomm. in 6.* est autem hoc speciale in censuris, prout hîc notauit *Franc.* vbi consilium dat, si quis timeat, ne Superior quidpiam imperans, censuram ei inferat, vt ad eam declinandam mox appelleret ad superiorem. Ordinariè verò seu in aliis casibus attentata post appellationem extraiudicialem non sunt ipso iure nulla, sed pendent ex futuro euentu, ita vt justificata appellatione rescindi debeant. *c. Consideranimus. 10. c. Cùm nobis. 19. vbi Innoc. n. 2. de de elect. Alex. hîc. num. 13. contra Abb. notand. 1.*

Non parùm autem refert, num attentata post appellationem sint ipso iure irrita, an non irrita, quamvis postea rescindenda; si enim irrita sint, tunc etiam deserta appellatione agi potest per viam nullitatis, videlicet in attentatis post appellationem judicialem, & in certis casibus in attentatis post extraiudicialem, sicuti *Alex. hîc explicat. n. 13.* at verò si non sint ipso iure irrita, tunc deserta appellatione revocari non possunt per viam nullitatis, sed tantùm per viam iuris ac iustitiæ. *c. Concertationi. 8. h. t. in 6.*

Notandum II. Sola itineris arreptio ad Superiorem vim appellationis habet, debet

debet autem hoc specialiter & peculiariter intelligi de appellatione extrajudiciali, quæ est prouocatio à causa, vt proinde talis appellatio tunc semper locum habere possit, cum superior per viam querelæ adiri potest, etiam citra omnem appellationem, sicuti *Abb. hic* docet n. 6. & exemplum habes in executore, item Episcopi Vicario seu Officiali, à quibus appellari non potest, & tamen locus est querelæ, seu supplicationi.

At verò in appellatione judiciali tamen si opus non sit vocem appellandi proferre, sed quouis verbo aut facto voluntas appellandi exprimi possit, tamen necesse est Apostolos petere, & alia agere, quæ ad judicialem appellationem requiruntur, cum enim appellatio, quæ fit, facto æquiparetur, ac veluti succedat in locum appellationis, quæ fit per vocem *appello*, idè eadem in illa seruari debent.

CAPITVLVM LIII.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Interrogatus fuit Innoc. III. si Princeps causam deleget remota appellatione, an solum frustranea appellatio inhibita censeferi debeat. Ad hoc Resp. Cum per appellationem frustraneam, etsi inhibita non sit, causa impediri non debeat, idè quamlibet appellationem, quæ à jure expressè concessa non reperitur, remotam esse, nihilominus sitis, qui appellare cupit, iniuste grauatus sit, grauamen istud per superiorem tolli potest.

SUMMARIUM.

1. *Dispositio quamuis odiosa aut exorbitans nunquam tam strictam interpretationem meretur, vt nihil operetur, aut verba eius frustranea & inuvalida sint.*
2. *Licet clausula: remota appellatione: impediatur effectum suspensiuum, non tamen impedit deuolutiuum.*
3. *Non obstante etiam eadem clausula recipienda est appellatio, quotiescumque in ju-*

re aliquod factum pro grauamine agnosci-
tur.

4. *In casu quo per privilegium, vel statutum appellatio adempta est, & notorium grauamen infertur, non quidem per viam appellationis, sed supplicationis, aut in integrum restitutionis, per superiorem succurri debet.*

NOtandum I. Dispositio quamuis odiosa aut exorbitans, idè quæ absolute loquendo strictam interpretationem mereatur, tamen non ita restringi, aut talem interpretationem sortiri debet, vt nihil operetur, aut verba frustra & inuuliter prolata sint. Ita sumitur ex *cap. Si sententia. 16. in fine. de sent. excom. in 6. l. Si stipularum. 110. ff. de verb. oblig. & tradit Abb. hic. n. 2. Alex. n. 8.* quòd verba dispositionis, si alioquin frustra posita essent, etiam ad impropriam significationem extendi debent. *arg. cit. 6. Si sententia. & Bald. in Rubr. C. de contrahend. empt. n. 9.* ait: quòd non tantum clausula, sed etiam verba singula posita in contractu ita intelligi debent, vt frustra non sint, sed aliquid operentur, dummodò id fiat secundum naturam contractus, idque propter Regulam receptam: quòd verba intelligi debent, secundum naturam actus & materiam subiectam.

Not. II. Licet clausula *remota appellatione* impediatur effectum appellationis suspensiuum, non tamen impedit deuolutiuum. Et habet id etiam locum, si jus ipsum præcipiat causam cognosci, remota appellatione, vt in *c. Inquisitionis. 16. de heret. in 6.* quòd Episcopi & inquisitores in causa hæresis procedere debeant appellatione remota; nihilominus enim Archi. Episcopus comparatione Episcopi, & multò magis Papa à reo interpellatus cognoscere potest de iustitia processus & sententiæ, atque inhibere, ne ulterius procedatur ad executionem, *c. Romana. 3. §. Si autem h. t. in 6.* Et docet *Gl. in Clem. 1. verb. Oneramus. de iure patron.* vbi ait: quòd superiore mendare debet, quæ malè acta sunt, attentata tamen à Iudice inferiore non per viam nullitatis, sed per viam ordinariæ querelæ seu iustitiæ imple-

implorationis reuocari debent, teste *Abb. hic. n. 11.*

Rationem dare debemus: Quia clausula: remota appellatione: rescriptis & statutis interdum apponitur, vt iustitia non impediatur & protrahatur, ergo non debet tendere in finem oppositum videlicet vt iniustitia Iudicis per eam defendatur. Et idem ait *Abb. hic. n. 12.* sentiendum esse de priuilegio, si aliquibus concessum sit, ne ab ipsis appellari possit, hoc enim Princeps concedit, quia præsумitur de iustitia & industria priuilegiatorum juxta *l. 1. C. de sententiis Praefecti Pratorio.* Si itaque appareat personam aliter procedere, quam iustitia exigat, non est ratio, cur Superior grauamen reuocare non debeat, saltem per viam ordinariæ querelæ seu supplicationis, aut in integrum restitutionis, vt videre licet apud *Alexand. hic. n. 40.*

Not. III. Quotiescunque in iure aliquod factum, seu aliquis processus pro grauamine agnoscitur, à quo iustè appellari possit, tunc appellatio recipienda est, non obstante quòd causa ab homine, aut à iure commissa sit, remota appellatione. Ratio est: quia Superior causam committit remota appellatione, qui existimat Iudicem processuum sine iniusto grauamine, alioquin ita committere non posset, si autem iura grauamen aliquod iudicent esse iniustum, dum Iudex notoriè grauat, idè cessat præsumptio, quæ pro Iudice habetur, & confert huc Regula tradita in *gl. c. Ex conquest. 10. verb. post appell. de restitut. spoliator.* Tametsi causa commissa sit remota appellatione, tamen appellari posse, si grauamen notorium sit.

Quòd si verò per priuilegium *l. Statutum* appellatio adempta sit, & postea notorium grauamen inferatur non quidem per viam appellationis sed per viam supplicationis aut in integrum restitutionis, Superior succurrere debebit, teste *gl. recepta in l. vn. verb. non potest. ff. de offic. Praefecti pratorio Alex. hic. n. 40.* vbi aliud exemplum affert de Vicario Episcopi, tametsi ab eo appellari non possit

ad Episcopum, *c. 2. de consuetud.* tamen supplicari posse.

J. Verùm.

Sæpè accidit, vt aliquis à Iurisdictione ordinarij Iudicis propter appellationem quoad certum articulum ad tempus eximatur, idè quæsitum est ex Innoc. III. si Episcopus. v. g. in Diocesanum suum excommunicationis sententiam proferat, Diocesanus autem ab ea appellet, tanquam irrationabiliter lata sit, num Episcopi iurisdictionis suspensa censi debeat ac veluti dormire, perinde, ac si ante latam excommunicationem appellasset, an verò nihilominus eum denuntiare possit & interim ipsum Ecclesiasticis beneficiis priuare.

Ad hoc Resp. Innoc. III. Cùm excommunicatio executionem secum trahat & excommunicatus per denuntiationem plùs non ligetur, idè excommunicatus, non obstante appellatione sua, denuntari potest, vt ab alijs vitetur. Insuper Ecclesiastici reditus meritò subtrahuntur illi, cui Ecclesiæ communicatio interdicta est.

SUMMARIUM.

1. Appellatio causam non omnino subtrahit iurisdictioni iudicis à quo, sed suspendit & quasi dormire facit.
2. Excommunicatio lata ab homine non suspenditur per appellationem.
3. Appellatio interposita ante latam excommunicationem aliãque censuram parit effectum suspensiuum, nec valida est censura, nisi appellatio manifestè friuola sit.
4. In dubio an friuola sit appellatio, si iudex eam pro friuola habens appellantem excommunicet, ille autem in appellatione persistat, excommunicatio nihilominus secundùm se statim valet, aut non valet, quoad nos verò pendet à securura sententia iudicis de appellatione.
5. Si in hoc dubio interim appellans celebret bona fide, non est irregularis.

6. Iudex qui hominem excommunicauit post appellationem intra decendum interpositam, potest eundem denuntiare.

7. Excommunicato in excommunicatione persistenti fructus beneficiorum subtrahendi sunt.

8. Excommunicatio virtualiter in se continet suspensionem ab officio, & beneficio, saltem quoad forum externum.

1. **Not. I.** Appellatio causam non omnino subtrahit iurisdictioni Iudicis à Quo, sed suspendit & quasi dormire facit, quia in certis casibus ad eum reuerti & resuscitari potest. *c. Si à Iudice. 10. h. t. in 6.*

2. **Not. II.** Excommunicatio lata ab homine non suspenditur per appellationem, quia excommunicatio & omnis propriè dicta censura executionem latæ sententiæ secum trahit, uti docui in *c. Ad hac. 37. h. t.*

3. **Not. III.** Appellatio interposita ante latam excommunicationem aliã uel censuram parit effectum suspensiuum, ita ut censura postea lata non valeat. *c. Ad presentiam. h. t.* Vbi exceptionem attuli, nisi appellatio manifestè friuola sit, tum Iudicem procedere posse ad contumacem excommunicandum.

4. Sed quid si dubiū sit, friuolane appellatio censi debeat, quia Iudex pro friuola eam habens, idèd hominem excommunicat, ipse autem in appellatione sua persistit, estne interim excommunicatus & irregularis si celebret, donec Iudex ad quem causam definiat.

Ad 1. quæsitum. Resp. Cum *gl. h. c. verb. excommunicatio scum.* Quod excommunicatio quo ad se statim aut valet aut non valet, sicuti expressit *gl. in c. Venerabilibus. 7. de sent. excom. in 6. verb. appellatum.* at verò quoad nos incertum est & pendens à futuro eventu, si enim Iudex ad quem iudicauit appellationem fuisse friuolã, apparebit excommunicationem fuisse validam, sin autem appellationem probabilem seu rationabilem iudicauit, apparebit, excommunicationem irritam fuisse.

Corollarium. Si Iudex post interpositam appellationem tanquam ea friuola sit, hominem excommunicauit, non debet denuntiatio eius fieri in casu isto, quo rationabiliter dubitatur, num excommunicatio valeat, neque; quandoquidem secundum Canones à fidelibus vitari aliquis non debet, nisi constet aliquem excommunicatum esse, in proposito autem casu res dubia est, ut ponimus, ergo &c.

Verum per accidens & propter scandalum, ne fideles superioris sui præceptum contemnere videantur, in publico vitare debent, saltem donec superior, ad quem appellatum, appellationem receperit, & hoc ipso causam dubiam iudicãrit.

Ad alterum Resp. Si talis interim bona fide celebret, non est irregularis censendus, tametsi Iudex ad quem postea iudicauerit appellationem friuolam fuisse & excommunicationem valuisse, ita *Nauarr. in man. c. 23. n. 104. Anula de censur. p. 2. c. 5. D. 5. d. 12. gloss. in c. solet. verb. in officiis. de sent. excom. in 6.* Nam irregularitas hæc censetur veluti pœna, cum prouenire debeat ex peccato, videlicet illicita celebratione, seu censura violatione, cum itaque homo ille non peccãrit celebrando, non potest censi irregularis, quod verò *gloss. h. c. verb. secum trahit,* exinde infert, si eiusmodi homini interim conferatur beneficium, collationem validam fore, tametsi Iudex postea definiat excommunicatum fuisse. Hoc dictum reprobari debet, teste *Imol. h. c. n. 7. & docui l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 7.* Quia licet talis collatio irrita non sit, tanquam facta irregulari, irrita tamen est, tanquam facta excommunicato, etenim discrimen est inter irregularitatem & collationem beneficii, quod irregularitas ista ex culpa pendeat, at verò vis collationis pendeat ex facto secundum se, quia excommunicatus etsi ignoret se excommunicatum, beneficii incapax est.

Id denique addo; quod attinet ad irregularitatem, discrimen esse, num appellatio antecesserit censuram, an secuta sit: nam in primo casu præsumptio est pro appellante, *argument. c. dilectis. 15. h. t.* Et idèd si celebret

celebret post latam censuram, in dubio cenferi potest bona fide celebrasse, ideoque non irregularis; at verò in posteriore casu, si videlicet post latam censuram appeller, præsumptio est contra eum propter Iudicis sententiam, & ideò si Iudex ad quem contra illum pronuntiauerit, cenferi debet irregularis. Quamvis in foro conscientie reuera non sit irregularis, si bona fide processit, sicuti & vice versa in priore casu, si mala fide & friuolè ante latam censuram appellarat, postea celebrando irregularitatem re ipsa contrahit, licet in foro externo, si mala eius fides non appareat, pro irregulari non habeatur, sicut Auila loco citato notauit.

6 Not. IV. Iudex, qui hominem excommunicauit, non obstante appellatione postea intra 10. dies secutâ, eundem denuntiare potest, ratio datur in textu; quia Iudex hominem denuntiando plus non ligat, sed jam ligatum ostendit ac promulgar.

Hâc consideratâ ratione *Nauarr. in c. Cum contingat. de rescript. remed. 6. n. 8.* valde probabiliter docet post Extrauagant. Constantiens. hodie semper appellari posse ab excommunicatione (ea dempta quæ ob sacrilegam Clerici percussione incurfa est) ad eum finem, vt Iudex à denuntiatione abstinere debeat, si appellans causam non friuolam afferat, sed talem, quæ si probata sit, legitima censeatur. Ratio est, quia per denuntiationem nouum excommunicato grauamen & ligamen infertur, vt videlicet ab aliis vitandus sit, quamvis hanc exceptionem non admittat *Suar. de censur. D. 3. in fine.*

7 Not. V. Excommunicato, dum in excommunicatione persistit, fructus beneficiorum subtrahendi sunt; nam fructus dantur propter officium, cum itaque excommunicato officium suum interdictum sit, consequens est, vt etiam fructus eidem auferendi sint. Accedit quòd Ecclesia eum fructibus beneficiorum suorum dignum non iudicat, quem à communionem sua excludit.

Exinde collige, quòd excommunicatio virtualiter in se contineat suspensionem non tantum ab officio, sed etiam à beneficiis, saltem quoad externum forum; num autem in conscientie foro excommunicatus ante Iudicis sententiam fructus beneficiorum restituere teneatur, dixi *lib. 1. tract. 5. p. 2. q. 2.*

CAPITULUM LIV.

Sollicitudinem.

PARAPHRASIS.

Cum duo Diocesani coram Episcopo suo contenderent, vnuseorum ad Papam appellauit, sed Episcopus appellationem friuolam censens, nihilominus procedere voluit, & renitentem, tanquam contumax sit, excommunicauit, is postea à Metropolitanano petiit iustitiam sibi administrari, atque in eum statum causam reduci, in quo erat tempore appellationis, videlicet denuntiare se ab excommunicatione liberum; interim verò protestatus fuit, quòd per hoc appellationi suæ quam ad Pontificem interposuerat, renuntiare non intenderet, sed eam prosequi vellet.

Circa hunc casum quæsitum est ex Innoc. III. num Metropolitanus de hac querela ad se delata cognoscere possit; deinde si in hoc casu Episcopus appellauerit, ne contra ipsum sententia & denuntiatio feratur, num appellationi Metropolitanus deferre debeat.

Resp. Pontifex, quòd Metropolitanus de excommunicatione validane sit, an irrita, cognoscere non possit, cum id pendeat ex causa appellationis, eique conexum sit, quare sicuti de ipsa causa appellationis ad Pontificem interposita intromittere se non potest, ita nec de conexis, quòd si itaque Metropolitanus in hoc casu cognoscere aggrediatur, Episcopus appellare potest. Horum ratio est, quia eiusdem Iudicis officium est, attentata reuocare, qui de causa appellationis

cognoscere debet. Verum si notorium esset, quod Episcopi mandatum indiscretum fuerit aut iniustum, cui proinde subditus obedire non teneretur, consequenter etiam liqueat subditum legitime appellasse, tunc Archi-Episcopus auctoritate Metropolitana declarare potest Episcopum irrationabiliter processisse ad excommunicandum; alioquin verò si Diocesanus, qui ad Pontificem appellauerat contra Episcopum, postea ad Metropolitanum accedat, ut de causa cognoscat, hoc casu non prohibetur Metropolitanus cognoscere, eò quod Diocesanus priori appellationi suæ tacite renuntiabit. Cæterum si in hoc ipso casu, verbo, aut facto protestetur, se nihilominus appellationem illam ad Papam profecturum, tunc tanquam aduersantia petens & sibi ipsi contrarius, audiri non debet.

SUMMARIUM.

1. Contra illegitimè & friuolè appellantem etiam absentem & non amplius citatum, potest procedere iudex à quo, usque ad definitiuam sententiam, & si contumax sit; ad excommunicationem.
2. Arbitrans se nulliter excommunicatum, potest petere ut declaretur, se à censura liberum esse.
3. Cognitio de attentatis, an ea reuocanda sint, pertinet ad iudicem appellationis. Nisi notorium sit post appellationem aliquid indebitè esse attentatum.
4. Mandatum notoriè iniurium subdito ab Episcopo impositum, Metropolitanus per modum querelæ aditus reuocare potest.
5. Si appellans ad superiorem, comparet coram inferiore iudice, appellationi renuntiare censetur.
6. Appellatio à iudice à quo approbata, vel ab aduersario acceptata, deuoluta iudicatur ad curiam, nec ab ea recedere licet.
7. Protestatio impedit, quo minus aliquis censetur renuntiare iuri suo.
8. Protestatio prodest, si actus qui geritur duobus modis intelligibilis est, sin ad unum de-

terminatus, tunc factò contraria est, & nihil prodest.

NOT. I. Appellatio illegitima ac friuola non defendit appellantem, quo minus Iudex à quo procedere possit usque ad sententiam definitiuam, etiam absente & non amplius citato appellante. *juxta. c. 2. de dolo. in 6.* ubi docui notando 2. vel ad excommunicationem ferendam aduersus appellantem, quod Iudici citanti aut præcipienti parere nolit, ut hîc dicitur.

NOT. II. Qui arbitrate excommunicationem contra se latam, irritam esse, is petere potest, ut hoc ipsum declaretur, se immunem ac liberum esse à vinculo censuræ. Ita ex *Bald. notant. hic Abb. Franc. & Alex. not. 2.* quod reputatus excommunicatus, aut criminofus possit adire Iudicem, ac petere; ut declaretur non esse talis.

NOT. III. Cognoscere per viam attentati, seu num attentata post appellationem, reuocanda sint, pertinet ad Iudicem appellationis: nam qui de principali cognoscit, is etiam de accessorio seu connexo cognoscere debet, atqui causa attentati reuocanda est accessoria & connexa causæ appellationis; quippe ex eo dependens num legitima ac friuola appellatio fuerit, ergo ad eundem Iudicem pertinet cognoscere de iustitia appellationis & attentatorum reuocatione.

Excipe. Si notorium sit post appellationem aliquid indebitè contra juris ordinem attentatum esse, tum ipsemet Iudex, qui malè attentauit, v. g. excommunicando innocenter, sententiam reuocare deberet. *argum. c. Cum teneam. 17. & c. Cum cessante. 60. h. c.* Et similiter Metropolitanus per modum querelæ aditus, ut mox dicam, & sumitur ex hoc *c. verb. si verò.* & tradit *gl. hic.*

NOT. IV. Si Episcopus subdito mandatum notoriè iniurium imponat, tum Archi-Episcopus seu Metropolitanus per modum querelæ aditus, illud reuocare potest, seu declarare, hominem eo mandato non teneri. Ita

Ica Abb. hic n. 3. Franc. no. 4. gloss. in c. Pastoralis. 11. verb. exceptis. de officio Ordinarij; nam Archiepiscopus est Iudex ordinarius Episcopi, ideoque eum cohibere debet, si aliquem iniuste vexet.

5 Not. V. Qui à sententia appellauit, appellationi non tantum renuntiare videtur, si se subiiciat iurisdictioni Iudicis à quo, c. Gratianum. 20. de off. deleg. sed etiam si compareat, coram superiore Iudicis à quo, qui sit inferior Iudice ad quem, vt in casu huius Capituli; si enim aliquis actum contrarium seu incompatibilem alteri priori actui exercent, tunc eum revocare seu ipsi renuntiare censetur. Sed cum appellatione ad Papam consistere non potest, vt inferior videlicet Metropolitanus causam appellationis cognoscat, ergo si is, qui ab Episcopo ad Papam appellauerat, postea Episcopi mediatum Superiorem, videlicet Metropolitanum adeat, vt eandem causam cognoscat, is priorem appellationem deserere eisque renuntiare censetur.

6 Cæterum, si appellatio à Iudice, à quo appellatio approbata sit, vel ab adversario accepta, tunc ad Curiam devoluta censetur, 20. appellans recedere non possit, alioquin in expensas condemnandus est. cap. Nicolao. 64. hoc tit.

7 Not. VI. Protestatio impedit, quo minus al quis censetur renuntiare juri suo l. si debitor. 4. quibus modis pig. ubi gloss. noua ait, quod creditor consentiens pignus vendi, salvo jure suo, jus pignoris non amittit. & Innoc. in c. Cum M. n. 1. de constitut. ait: tunc protestationem prodesse, si actus, qui geritur, duobus modis intelligi possit, vt in exemplo prius allato; sin autem actus ad vnum determinatus sit, tunc protestatio contraria repugnat actui & dicitur facta contraria, ideoque nihil prodest. Tum verò distinguendum est; vel actus substantiam suam jam habet ex proprio obiecto, hoc casu protestatio contraria ei superveniens omnino inutilis cenferi debet, & pro non apposta haberi; vt si quis viro honesto alapam infligendo dicat, se non iniuriæ causâ agere, is verò iniuriam infert. l. Si quis conuictij. 5. C.

de iniuriis. Cum alapa voluntariè inflicta, viro honesto & innocenti, ex obiecto suo substantiam iniuriæ habeat, quæ per protestationem contrariam auferri non potest, vel actus nondum habet substantiam ex obiecto, sed pender ex libera voluntate, tunc per contrariam voluntatem seu protestationem impeditur ac tollitur, exemplum habes in hoc cap. actum suo juri contrarium agendo censetur aliquis renuntiare juri, sicuti supra dictum. & tradit gloss. in l. 1. C. de furt. sin autem aliquis talem actum agendo, nihilominus jus suum retinere velit, tunc tanquam contraria dicens repellit debet, vt hic & in cit. l. 1.

CAPITVLVM LV.

Dilectis.

PARAPHRASIS.

Presbyter alicuius Ecclesiæ Altisiodorensis Diœcesis, aliqua furtiuè ex Ecclesia subtraxerat, quæ cum restituere recusaret, Episcopus eum excommunicauit: dicebat enim plenam iurisdictionem super ea Ecclesia ad se pertinere, sed Decanus asserens Ecclesiam illam & Presbyterum suæ iurisdictionis esse, petiit Presbyterum sibi exhiberi & restitui, tunc Episcopus veritus, ne quidpiam attentaret, se & suos & statum Ecclesiæ acciuitatis Metropolitanæ protectioni subiecit. Sed Decanus posthabita appellatione interdictum promulgauit, vt Episcopo præsentem in Ecclesia Altisiodorensi à diuinis officiis cessaretur. Postea verò cum ad diem præfixum partes comparuissent, coram Officiali Curie Metropolitanæ, ad quem appellatum erat, Decanus allegauit, ideò se appellationi ab Episcopo interpositæ non detulisse, quia Presbyter adhuc in vinculis detinebatur, nihilominus Officialis sententiam tulit, irritum fuisse interdictum, quod Decanus promulgauit post appellationem Episcopi.

His relatis Innoc. III. respondet. Quandoquidem Episcopus plures modos expresserat,

a a a a 3

serat,

ferat, quibus Decano propter capturam Presbyteri iustitiam exhibere velle, non potuisse Decanum interdictum promulgare, & ideò pro irritò & inani habendum esse, non obstante, quòd Decanus in ea re varius, dicat, se interdictum promulgasse, antequam Episcopus appellaret, & se eiusdem interdicti sententiam ad tempus suspendisse, siquidem pendente appellatione, non poterat Decanus procedere ad executionem sententiæ.

Insuper verò processum Officialis adversus Decanum ipse Papa temerarium decernit, propterea quòd Decanus prius ad Pontificem appellauerit; notum autem sit, post appellationem nihil esse novandum; quòd verò Episcopus Decanum, cum interdictum tollere noller, excommunicaret, id prima facie rectè factum videri potest, quia Officialis prohibuerat, ne interdictum servaretur, Decanus verò hoc ipsum præcipiendo Diuina officia perturbabat. Verùm quia dicta excommunicatio prolata est post appellationem à Decano interpositam ad Papam, cui etiam Officialis deferebat, Apostolos dando, ideò non tantum negotium principale, sed etiam accessoria ad Apostolicam Sedem devoluta fuerunt, consequenter excommunicatio secuta viribus caret.

Uterius tamen si Metropolitanus Decanum non obstante eius ad Sedem Apostolicam appellatione evitandum denuntiaret, propter excommunicationem ipsi à suo Episcopo inflictam, tamen Canonici Senenses eidem rectè communicarent, quippe saniore consilio ducti, ut potius appellationi ad Pontificem delatæ, quàm denuntiationi Metropolitanæ se conformarent.

S Y M M A R I U M.

1. Clericus ab Ecclesiastico iudice incarcerationi potest, & torqueri, si agatur de crimine eius, etiam civiliter tantum.
2. Idem subiectus Episcopo, ex consuetudine

aut privilegio in certa parte diœcesis jurisdictionem obtinere potest, excluso Episcopo.

3. Magistratus repetere potest subditum ab alio iniuste detentum.
4. Episcopus à subdito suo grauatus extrajudicialiter pronocare potest ad Metropolitanum.
5. Limitatur.
6. Interdictum ferri potest sub modo aut conditione certa.
7. Excommunicatus, post legitimam appellationem, non est vitandus.

Not. I. Clericus ab Ecclesiastico Iudice in carcerari potest, si agatur de crimine eius, etiam civiliter tantum ad rei subtractionem aut damni iniuste illati restitutionem. *c. Si Clericus. 15. de sent. excommun. 6.* sed & torqueri in tali casu posse Clericum habetur in *c. 1. de deposito. &* videri potest *Alexander hic. not. 1.*

Not. II. Clericus subiectus Episcopo, ex consuetudine, aut privilegio in certa parte Diœcesis jurisdictionem obtinere potest, etiam excluso Episcopo, ita ut is ordinariè se immiscere non debeat, sed tantum ob defectum, aut negligentiam inferioris eius Clerici, v. g. Archidiaconi, aut Decani. *c. Irrefragabilis. 13. de off. Ordin. &* tradit hic *Frane. not. 4. Alex. not. 3. &* docui de *jurisd. ordin. concl. 77.*

Not. III. Magistratus repetere potest subditum, si ab alio iniuste, aut præter iuris ordinem detineatur, quia ipsius interest partim, ne iurisdicatio eius violetur, partim quia subdito indiget ad præstanda debita munera. *arg. l. De iure. 37. ff. ad municipal. vbi ciuitas vendicat sibi ciuem suum ad munera obeunda, &* Archidiaconus in *c. Auctoritate. 4. de priuileg. in 6.* ait: quòd Dominus agere potest, ne subditi eius molestentur, quandoquidem ipse obligatus est ad defendendum eos ab omni vi iniusta. *arg. huius cap. vbi videmus Episcopum pro se &* omnibus Ciuitatis incolis appellasse, ne per interdicti sententiam turbentur. Addit verò *Gloss. in cit. c. auctoritate. verb. pertinent. Innocent. hic. verb. Ciuitatis,* quòd Domino actio de dolo

dolo vel interdictum utile (vti possidetis) cōpetit, si aliquis colonum eius in possessione turbet, eīve molestus sit, quia interest Domini, vt colonus in fundo quietus manere sinatur. Ceterum de furto si quid ipsi colono subtractum sit, Dominum agere posse, cum eius non intersit, sed nec de iniuria, nisi facta sit contemplatione ipsius Domini.

Adde his, quod arrestationes subditorum propter qualemcunque obligationem Dominorum valde odiosæ censentur, vt in imperio mox mandata etiam sine clausula iustificatoria ad liberationem decernantur, sicuti videre est apud *Gail. de pignorationibus & arrestationibus.*

4 Not. IV. Si Episcopus à subdito suo grauetur, extraiudicialiter provocare potest ad Metropolitanum, ita *Abb. hic. not. 5.*

5 Verum cum id alibi expressum non reperitur, & sit contra Regulas communis iuris, in quibus habetur: Si Episcopus contra Clericum suum litem habeat, vt coram arbitris, vel si causa criminalis sit, in Concilio Provinciali transigatur, sicuti docui de iurisdictione *Ordinar. concl. 80.* idē hoc notandum videtur generaliter accipiendum, sed prout ex textu nostro colligitur, videlicet si Clericus statum Ecclesiæ Cathedralis seu communitatem Diocesanorum infestare conetur, quia ad bonum ordinem Ecclesiastica Hierarchiæ pertinet, vt in tali casu, in quo periculum in mora est (si ad Pontificem pro remedio accuri statim non possit, neq; expectari, donec Synodus Provincialis habeatur) Archiepiscopus remedium mox adhibeat.

6 Not. V. Interdictum ferri potest sub modo aut conditione certa, videlicet si & quamdiu auctor sceleris est in ciuitate, similiter & suspensio ferri potest. v. g. donec Reus satisfecerit, postea verò si satisfactum sit, per se cessat censura secundum *gl. in Clem. 1. verb. donec. de decim.* in quo differunt hæc censura ab excommunicatione, quæ non potest absolute ac totaliter ferri, & non nisi per absolutionem tolli.

7 Not. VI. Qui post legitimam appellationem excommunicatus est, à fidelibus vitari

nō debet, sed in dubio num appellatio fuerit legitima an friuola, parendum videtur Prælato denuntianti excommunicatum, saltem donec Superior *ad quem* appellationem admiserit. *arg. c. 2. de sent. excomm. in 6.*

CAPITVLVM LVI.

Vt nostrum.

PARAPHRASIS.

Cum Cancellaria Ecclesiæ Mediolanensis tanto tempore vacasset, vt ad Sedem Apostolicam eius collatio devoluta videretur, Innoc. III. mandauit Archiepiscopo vt Hannibali Cancellariam conferret, sed Archiepiscopus diuersa rescribens, altera vice respōdit, se 10. mensibus prius quam Bullam Pontif. acceperat, collationem fecisse Henrico, tum Pontifex iussit, vt Henricum, cui collatio facta referebatur, cum testibus &c. ad ius suum prosequendum Romam mitteret, sed Archiepiscopus nō obstante hoc mandato, dicto Henrico sigillum Cancellariæ contulit. His intellectis Innocentius mandat quibusdam delegatis; si ita se rem habere cognouerint, quod videlicet sigillum traditum sit, postquā Papa totius negotij cognitionem ad se avocauerat, traditionem irritā decernant, prohibentes Henrico, ne sigillo vquam vti præsumat, quia plus aliquid est, Papam ad se causam avocare, quam ad ipsum super causa appellari. Casum huius cap. reperies *inf. in c. 1. Vt Ecclesiastica beneficia &c.* secundum integram eius lectionem, adiunctā Glossā.

SUMMARIUM.

1. Superiore iudice causam avocante à iudice inferiore, huius in ea causa acta post auocationem ipso iure irrita sunt.
2. Superior potestas ab inferiore causam auocare potest, si hac ab illa iurisdictionem accepit.
3. Auocatio causæ magis impedit iurisdictionem iudicis à quo, quam appellatio.

4. In

4. In dubio non præsimitur nec vim habet priusquam innotescat iudici, à quo fit impetratio ad impetrationem partis, secus si avocatio facta est motu proprio Principis.

5. Appellatio interposita non impedit effectum consecutivum seu connexum.

6. Ante possessionem traditam, Papà causam ad se avocante, possessionis usus inhiberi potest, non item lite pendente, vel interposita appellatione.

Not. I. Postquam Superior causam aliquam ad se avocavit, manus Iudicis à quo, veluti ligatæ & impeditæ sunt in ea causa, ita ut quidquid decreverit, aut egerit, ipso jure irritum sit. *l. Iudicium, 58. ff. de Iudiciis.*

2 De hac avocatione bonam Regulam tradit hîc *Alex. n. 7.* quòd potestas Superior tunc causam avocare possit ab inferiore, si jurisdictionem ab eo accepit; nam qui alteri eam concessit, sibi ipsi ampliozem & vberiozem reseruvauit; sin autem Iudex inferior, aut minùs dignus jurisdictionem non accepit à digniore, avocationi locus non est, exempli causa, Magistratus Ciuiicus non potest causas avocare à Rectoribus *Zunftmeister* officiorum, cum ij jurisdictionem non à Magistratu, sed à Cæsare habeant. *l. ult. C. de iurisdic. omn. iud.*

At verò Episcopus causam quamlibet à Vicario avocare potest, ad suam cognitionem; cum enim Vicario omnem potestatem arbitratu suo, seu ad nutum auferre, siue remouere ipsum possit. *Clem. 2. iuncta gl. verb. electionem, de rescriptis.* poterit etiam causam quamlibet ab eius jurisdictione subtrahere, teste *Abbate hîc n. 2.*

3 Not. II, Avocatio causæ magis impedit jurisdictionem Iudicis à quo, quam appellatio: quia avocatio causæ consistit in facto procedente ex mera facultate Superioris, ita ut de ratione avocationis quærendum non sit, cum sufficiat avocantis voluntas; at verò appellatio consistit in jure, ita ut si frivola seu irrationabilis sit, Iudicis jurisdictionem & processum impedire non possit. *cap. Cum appellacionibus. s. h. t. in 6.*

Porro avocatio causæ odiosa censetur, & in dubio non præsimitur teste *Innoc. c. Cum M. in fine de constitut.* nec vim suam prius obtinet, quam innotescat ei, à quo fit avocatio ad impetrationem partis, tamen sine clausula decreti irritantis; secus; si facta est avocatio motu proprio Principis, ut docet *Franc. hîc. q. 1.*

Præterea appellatio interposita non impedit effectum consecutivum seu connexum. *arg. c. Constitutis. 46. & c. Pastoralis. 53. S. Verum. h. t.* ex quo colligit *Abb. n. 4.* quòd non obstante appellatione facta post collationem beneficij, possessio eius tradi possit, at verò avocatio causæ omnimodam inhibitionem continet, ut in ea causa seu negotio ulterius procedi nequaquam possit.

Not. III. Licet pendente lite vel appellatione nò prohibeatur aliquis, uti possessione sua. *c. 1. ut lite pendente,* tamen si Pontifex ante possessionem traditam ad se causam seu litem avocauerat, tum possessionis usus inhiberi potest. Ita *Innoc. hîc. & Franc. col. 3. verb. in eadem glosa.* Enim verò in nostro casu Cancellariæ possessio tradebatur per sigillum; quia per id Cancellarius officium suum exercere poterat, eòque sibi adempto, aut prohibito, non poterat.

CAPITVLVM LVII.

Oblatæ.

PARAPHRASIS.

Inter duas communitates S. & R. motam controuersiam Pontifex quibusdam Iudicibus delegauit. cum autem Iudices pro plebe S. sententiam tulissent, Procurator plebis R. ad Papam appellauit, nullo designato termino, sed nec Iudices terminum definierunt, nec appellationi detulerunt, tunc Parochus plebis S. literas à Sede Apostolica impetrauit, quibus mandabatur, ut sententia, sicut rationabiliter lata esset, ita etiam obseruaretur. Verùm & altera pars postea alias literas impetrauit ad alios Iudices, ut eadem illa sententia infirmaretur, nullâ tamen priorum

rum literarum facta mentione. Vnde dubium ortum fuit, priorésne Iudices, an posteriores de causa cognoscere debeant; Resp. Innoc. III. Tamen si legitime appellanti indulgeatur à Lege annus, & ex causa biennium, ad prosequendam appellationem; quia tamen is terminus tum à Iudice, tum à parte restringi, nõ autem prorogari potest, ided distinguendum, si enim terminus appellationi prosequendæ præfixus sit, atq; eo tacito is, cõtra quem appellatum, literas impetrãit, nullius momenti erunt; sin autem præfixus non sit, tum is, contra quem appellatum, intra legalem anni terminũ impetrare potest literas super appellationis causa, dummodò non nimis præveniat, vt adversarium supplantare videatur. Et ita quidẽ impetrare potest, vt appellans, si appellationẽ prosequi velit coram Iudice delegato impetrato, nisi eum reculare possit, agere cogatur. Quod si appellans nolit, nihilominus appellatus causã prosequi poterit, præsertim si ex dilatione periculum ipsi generetur, sed & superior si animadvertat periculũ imminere ex dilatione, dum neuter litigantium appellationem prosequitur, ipsemet potest & debet occurrere. v.g. in casu si à sententia lata super confirmatione electi provocatum sit, & vtraque pars litem differre velit vsque ad annum, tum Iudex ad quem appellatum, ne Christi grex diu Pastore careat, debitum partibus terminum præfigere potest. Ex his ait Innoc. colligi posse responsionem ad interrogata, nimirum per literas posteriores prioribus legitime impetratis non derogari, sed per eos ad confirmandam prius latam sententiam rationabiliter procedi posse.

SYMMARIUM.

1. Terminus prosequenda & finienda appellationis est anni spatium, & ex causa biennium, quod prorogari non potest, restringi tamen à Iudice à quo vel appellante potest.
2. Terminum ab homine præfixum si altera pars præveniat impetrando literas, nulla facta mentione termini, litera nihil valent.

3. Quid juris sit, si terminus nullus sit ab homine præfixus, circa literarum impetrationem, super causa appellationis cognoscenda.

Sermo hinc est de tempore prosequendæ & finiendæ appellationis, de quo *sup. in c. 5. b. 2. & in Clem. sicuti. eodem titulo.* vbi generalis regula traditur terminum istum esse anni spatium & ex causa biennium.

Hoc spatium temporis nec Iudex à quo, nec appellans prorogare possunt, quamvis restringere possint breuiorẽ terminum statuendo. Et hoc casu, ante terminũ, nulla facta mentione termini, pars non potest impetrare, vt causa appellationis committatur.

Sin autem nullus terminus præfixus, tunc distingui debet inter appellantem: nam ille toto anni tempore literas impetrare potest super causa appellationis cognoscenda, at verò appellatus non potest nimis prævenire appellatẽ, sed tempus congruũ secundum boni viri arbitriũ expectare cogitur, in quo appellans paratus esse possit ad causam prosequendam, tunc cogitur saltem prope finẽ anni seu ad vndecimum anni mensem elapsum citatus comparere, teste *Alex. hic n. 10.* Quod si verò appellans legitime citatus non compareat, etiam ipso absente petere potest appellatus, vt causa secundum commissio- nis literas definiatur, vt hinc significatur, & in authentica *Ei qui. c. De temporibus appell.* Sin autem neuter causam intra annum prosequatur, tum neque Iudex ad quem se immiscere aut partes compellere debet, præterquam si periculum Reipublicæ timeatur, v.g. vt Ecclesia diu pastore careat.

CAPITVLVM LVIII.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Quæsitum erat ex Innoc. II I. si post latam sententiam, aut saltem post testium publicationem appellatum sit ad Sedem Apostolicam, atque inde causa delegata Iudicibus, accidat verò, vt pars altera coram his delegatis comparere recuset, an nihilominus causam definire possint.

b b b b

Respon-

Respondet Papa, Quandoquidem lis super eadem causa coram Iudice à quo, legitime contestata fuit, idè Iudices delegatos si de meritis causæ ipsi constet, eam sententialiter definire posse, etiam absente eo, qui convenitur, quippe cum se contumaciter absentet.

S V M M A R I V M.

1. Effectus litis contestatæ etiam ad causam appellationis extenditur.
2. Lites in prima instantia contestatæ, si altera pars contumaciter in causa appellationis absens sit, Iudex appellationis procedere potest ad sententiam definitivam.
3. In casu, quo nullus ab homine terminus est præfixus, vel ab appellante acceptatus, pars citari debet.
4. Cui parti in causa appellationis, onus probandi incumbat.

Not. I. Effectus litis contestatæ non extinguuntur per sententiam definitivam; quominus etiam ad causam appellationis se extendere possit, quamobrem exceptiones dilatoriæ, quæ post litem contestatam in prima instantia opponi nõ possunt, nec in causa appellationis possunt. *l. Ita demum. 13. C. de procuratoribus.*

2 Not. II. Si lis in prima instantia contestata sit, & pars convenuta in causa appellationis contumaciter se absentet, Iudex appellationis procedere potest ad sententiam definitivam. Nec enim obstat titulus huius libri, ut lites non contestatæ &c. quia ut iam dixi, lites contestatæ in prima instantia factæ effectum porrigere potest ad causam appellationis.

Veruntamen si utraque pars præsens sit, lites contestationem denuo faciendam esse ait *gl. recepta in c. Rainald. 18. verb. contestata de testament. Abb. h. n. 2.*

3 Notand. III. Si nullus terminus à Iudice constitutus, vel ab appellante determinatus & ab appellato acceptatus sit, tunc reus conveniendus citari debet, ut in contumacia constitui, & contra eum absentem procedi possit, ita tamen ut Iudex pro absente suppleat, quæ juris pro ipso sunt. *l. Ampliorem. 37. C. hoc tit.*

Quærit hinc *Abb. n. 6. Alex. n. 28.* cui parti in causa appellationis onus probandi incumbat. Resp. Quod attinet ad præparatoria, Iudicij appellans probare debet se appellasse tempore legitimo, videlicet intra decendum à sententia lata, aut gravamine illato; similiter & procurator probare debet mandatum suum, & cavere de rato. Quod verò attinet ad processum: si pars altera aliquid omissum esse dicat, v.g. citationem, causæ cognitionem, tum id ex actorum inspectione probare debet, *l. 2. C. de eadendo*, quod denique ad merita causæ principalis attinet, is, qui in prima instantia iudicii probationes facere debuit, idem quoque in secunda, seu appellationis instantia debet, seu de novo, seu ex prioribus actis probationes producere, videri potest *Bart. in l. Hi qui. 7. C. de appellat.*

CAPITVLVM LIX.

Ut debitus.

P A R A P H R A S I S.

Innocentius III. in Concilio Lateranensi c. 35. definiit, ut Iudicibus honor debitus deferatur, & litigantibus laboribus & expensis minuendis consulatur. Si quis coram idoneo Iudice adversarium convenit, quod appellatio ante definitivam sententiam fieri non possit, nisi rationabili allata causa: sed processus Iudicis permitti debeat, non obstante, si quis dicat se ad Superiorem destinasse nuntiū, aut impetivisse litteras præterquam si delegato traditæ sint, sin autem causa appellationis probabilis coram Iudice exposita sit, talis videlicet, quæ si probata fuerit, legitima reputari debet, tunc Superior ad quem, de appellatione cognoscet. Qui si appellantem rationabiliter & non appellasse cognoverit, ipsum ad Iudicem à quo remittit, & in expensis condemnabit, alioquin ipsemet in causa procedet, salvis tamen constitutionibus, quæ sunt de causis maioribus ad Apostolicam sedem deferendis.

S V M.

SUMMARIUM.

1. Expediit contrahi licentiam appellandi.
2. Appellatio ab interlocutoria non valet, nisi expressa causa probabili.
3. In rescriptis ad lites ratio habetur temporis presentationis eorum.
4. Litera secunda prevalent prioribus non presentatis, etsi illa harum nullam mentionem faciant.
5. Appellatione ab interlocutoria instituta, Iudex ad quem principalem causam definire potest.
6. In causis maioribus semper appellari potest ad Papam, nulla etiam expressa causa.

Not. I. Expediit ut appellandi licentia non nihil contrahatur, partim ut Iudicibus honor debitus tribuatur, partim ut labores & expensae litigantium minuantur.

Not. II. Appellatio ante sententiam definitivam seu ab interlocutoria non valet, nisi expressa causa probabili, quae, si probeatur, legitima reputabitur, consentit *Clement. 5. h. t.*

Not. III. In rescriptis ad lites attendendum est tempus praesentationis eorum, ita ut ordinarius Iudex non impediatur, aut praeveniatur per literas delegationis ab una parte impetratas, nisi praesentatae sint, quando quidem favorabilior est jurisdictio ordinaria quam extraordinaria & delegata, secundum *gl. receptum. in c. 1. verb. processus. de rescript. in 6.* Praeterea literae secundae, etsi nullam mentionem faciant priorum literarum, prevalere debent prioribus non praesentatis, & ita secundum quosdam limitari debet *cap. 3. De rescriptis*, ubi habetur: quod literae secundae subreptitiae sint, si prius datarum mentionem non faciant; nam, ut ibi dixi, literae posteriores non sunt irritae ipso jure, sed ope exceptionis; talis autem excipiendi licentia non conceditur, si impetrans literas delegato non praesentaret, dummodo potuerit praesentare; sin autem legitime impeditus fuit, imputari ipsi non debet. *Reg. 4. in 6. & tradit Franc. hic circa gl. 4.*

Not. IV. Si appellatio ab interlocutoria ad Iudicem ad quem justificata sit, i. e. facta censeatur ex causa legitima & probabili, tunc

etiam principalis causa ad ipsum devoluta censeatur, ita ut eam perinde ac prior Iudex, in cuius locum veluti succedit, cognoscere & definire possit. Sin autem appellatio ad Iudicem ad quem, non justificetur, tunc appellantem in expensis condemnare debet, & causam remittere ad Iudicem a quo, praeterquam si is appellationi detulerit, ideoque jurisdictionem veluti abdicavit. *c. Appell. 5. h. t. 6.*

Not. V. In causis maioribus, seu quae Sedis Apostolicae specialiter reservatae sunt, semper appellari potest ad Papam, nulla etiam expressa ratione, siquidem haec ratio sufficit, quod sit causa una ex maioribus, circa quas inferiores se non immiscere debent Iudices, vide quae dixi in *c. 4. de offic. leg. & quae dicuntur in c. 3. de baptism.*

CAPITULUM LX.

Cum cessante.

PARAPHRASIS.

Iudex seu Ordinarius, seu Delegatus aliquid comminando aut interlocuendo, partem litigantem gravavit. Quamobrem ea appellavit, sed Iudex a quo saniore usus consilio a gravamine desistit. hoc casu ait Innocentius, quod in causa procedere possit perinde ac si gravamen non intercesserit, propterea quod cessante causa cesset effectus, dummodo Iudex non ex alia causa legitima suspectus sit.

SUMMARIUM.

1. Cessante causa finali adequata cessat effectus: si dua sint causa eiusdem dispositionis, & una cesset altera manente, consistit dispositio.
2. Etiam a comminatione gravaminis inferendi per jurisdictionem, appellari potest.
3. Enumerantur Casus, in quibus etiam post sententiam latam definitivam Iudex cognoscere, aut revocare possit.

Not. I. Cessante causa finali ac principali, cessat etiam effectus eius. Exemplum est, hic appellatio interponitur a gravamine, ut aboleatur, si itaque Iudex a quo appellat-

pellatum, cesset à grauamine, seu illud reuocet, cessare debet appellatio. Consequenter Iudex in causa procedere potest. Et procedit hæc Regula, cessante causa &c. si causa, propter quàm actus fit, aliùsve effectus sequitur, vnica fit, seu adæquata, sin autem duæ causæ, & vna cessante altera non cesset, tunc distinguendum, num vna sufficiat ad effectum producendum, aut sustinendum; hoc casu subsistit actus seu effectus, §. *affinitatis institut. de nuptiis*. vbi rubrica ait: si duæ sint rationes eiusdem dispositionis, & vna cesset, alterâ manente, consistit dispositio, an verò vna illa causa, quæ remanet, non sufficiat, tunc actus seu effectus corrui, vti docui *l. 1. ff. 4. c. 22. n. 23.*

Adverte autem sermonem tantùm esse de appellatione à grauamine, seu interlocutoria, at verò definitiuâ sententiam Iudex ordinariè reparare, aut reuocare non potest, quia siue benè, siue malè iudicârit, officio functus est. *l. Iudex ff. de sent. & rejud.*

Nôr. II. Non tantùm appellari potest à sententia Iudicis interlocutoria, sed etiam à comminatione grauaminis inferendi per jurisdictionem: v. g. si comminetur Iudex capturam, aut torturam.

2. His adde quòd in quibusdam casibus etiam post sententiam definitiuam latam Iudex cognoscere, aut reuocare possit, quos leges apud Bald. *l. 1. c. sententiam rescind. non posse, Alexand. de Nauo. hinc n. 23.* 1. Si notoriè constet de iniustitia sententiæ, aut ex partitis confessione, secundùm doctrinam Innoc. in cap. *Quia pleriq. n. 3. de immunit. Ecclesiarum*. Ratio est, quia si notum est, aut in confesso, sententiam esse iniustam, non potest eius executionem petere is, pro quo lata est, sed neque ipsemet Iudex eam exequi poterit, quia iniustitiam suam magis auget & confirmaret. Vide *c. Cum inter. 13. de rejudic.*

2. In causis criminalibus, matrimonij, aliisque, in quibus ob peccati periculum sententia non potest transire in rem iudicatam, Iudex malè à se latam sententiam retractare debet. *c. Lator. 7. c. Cõsanguinei. 9. de re judic.*

3. Sententia retractari potest per viam restitutionis in integrum. *l. Divm. 33 ff. de re jud. c. 1. de in integrum restit. in 6.*

4. Si sententia lata sit officio Iudicis nobili, reuocari eam posse, docet Bart. in *l. 1. §. ult. ff. de pratoria stipulat. Alex. hinc n. 45.*

CAPITVLVM LXI.

Cum speciali.

PARAPHRASIS.

Innocentius II. in Concil. Lateranensi I. præfatur quòd jam antea in Ecclesia constitutum sit, ne quis excommunicationem in aliquem, nisi præmissa competente comminatione promulget, Verùm ne hac occasione commonitus per frustratoriam recusationem, aut appellationem declinare queat, ideò statutum hoc concedit, quòd, volens Iudicem vt suspectũ recusare, coram eodem causam suspicionis explicare debeat, postea vnà cum aduersario, vel si aduersarium non habeat cum Iudice, consensu communi, arbitros eligere; sin autem consentire non possint, tunc vna pars vnum, altera alterum arbitrum sine malitia designet, qui de causa suspicionis cognoscat: Hi arbitri si in vnam sententiam concordare non possint tertium eligant, vt quod duo ex his tribus iudicârint, firmum sit, sciântque se ad hæc fideliter exequenda graui obligatione præcepti teneri. Si itaque causa suspicionis ac recusationis, coram arbitris legitimè probata non sit, Iudex suâ jurisdictione vtetur, sin autem probata, tunc Iudex ex consensu recusatoris, idoneæ personæ causam committat, vel ad Superiorem transmittat, vt is secundùm iura procedat, & definiat.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatio ab homine ferri non potest in aliquem, nisi præcedente canonica monitione.
2. Et hæc trina esse debet, vel vna, saltem vt censura sit licita.
3. Iudex aut Prælatus Præcepta sua à comminatione censura non incipiat, nisi culpa aliqua vel mora satisfaciendi antecesserit, vel

vel alia rationabilis causa id exigere videatur, quo casu precipere potest in futurum sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ, & parere recusans in contumacia constituitur.

4. De causa recusati iudicis, non iudex ipse, sed arbitri electi cognoscunt, nisi causa sit aperte friuola.

5. Si arbitri causam recufationis iustam iudicauerint, quid tunc agendum iudici Ordinario.

Notandum I. Excommunicatio ab homine ferri non potest in aliquem, nisi præcedente Canonica monitione. c. Sacro. 48. de sent. excomm. c. Romana. 5. eod. in 6. Verum ut ex eodem cap. Romana colligitur, distinguere oportet inter culpam præteritam & præsentem & futuram, si enim v.g. Clericus alienam vxorem detinuerit ac detineat, excommunicari statim non potest, cum nondum contumax & Ecclesiæ inobediens appareat, donec admonetur, & is admonitioni parere recuset.

Debet autem monitio hæc Canonica esse trina, vel vna pro trina. cap. Constitutionem. §. Statutum. iuncta gl. verb. vna. de sent. excomm. in 6. saltem ut licite feratur excommunicatio, aliæue censura, licet nihilominus valida sit, dummodò contumacia post quamcumq; admonitionem perspecta fuerit, secundum gl. teceptam in cit. c. Sacro. verb. iusta & sumitur ex eodem cap. & citato. §. Statutum. vbi additur: si periculum in mora sit, non esse temporum interualla concedenda, sed mox, dummodò contumacia appareat, nisi iussus aliquid facere, vel à delicto abstinere, parere velit, censuram infligi posse, de quo videri potest *Suar. de censur. D. 3. S. 9. n. 4. Sayr. in Thesaur. l. c. 12. n. 18.*

Si autem ita loquamur de culpa futura, tum ex cit. c. Constitutionem. habetur, quòd Iudex, aut Prælati cauere debeat, ne præcepta sua à comminatione censuræ statim incipiat, nisi culpa aliqua, vel mora satisfaciendi antecesserit, aliæue rationabilis causa talem præcipiendi, aut vetandi modum postulare videatur, tunc poterit præcipere, aut vetare in futurum, sub pœna excommuni-

cationis, suspensionis, aut interdicti, ipso facto incurrenda, nisi hoc factum fuerit, aut nisi id omissum; tunc verò alia monitione opus non est, quia ipsum præceptum propositum homini, concessio ei temporis termino competente, intra quod deliberare, & præceptum, si velit, implere possit, sufficienter monet, hominemque obtemperare recufantem in contumacia constituit, sicuti docuit *Suar. cit. Disp. 3. §. 2. n. 5. & 10. Henr. 1. 13. c. 16. §. 3. in fin. Sayr. l. 1. thesaur. c. 12. n. 6.* Veruntamen de contumacia debet sufficienter constare, secundum doctrinam *Nauarri. in cap. Cum contingat, c. Nullitatis. 8. n. 4.* vbi ait: si Iudex præcipiat Titio, sub excommunicatione, ut pro offensa satisfaciatur intra dies octo quòd clausulam justificatoriã adijcere debeat, si te eo præcepto senseris grauatum, tunc compareas &c. secus verò dicendum, si notorie constet præceptum iuste impleri posse ac debere, tunc fieri potest cum comminatione censuræ ipso facto incurrendæ, etiam sine clausula; sed adijci solet præceptum, ut post transactum tempus aliquod compareat reus ad ostendendum se paruisse præcepto, vel si non paruit, ad videndum & audiendum se declarari incidisse in censuram.

Not. II. Si Iudex ut suspectus recusetur, non ipsemet cognoscere potest, num subit causa recufandi, sed ad hoc cognoscendum arbitri eligendi sunt, sicuti docui in *Disp. de iurisdictione concl. 37.* Intelligi autem id debet, si causa recufationis probabilis afferatur, sin autem manifestè friuola, tum Iudex eã reiicere, & nihilominus procedere potest. Veruntamen si Iudex malè declarare videatur, recufationem friuolam esse, ab eo appellari potest.

Not. III. Si arbitri causam recufationis iustam iudicauerint, tunc Iudex ordinarius (secus dicendum de delegato. cap. Iudex. 6. de offic. deleg. in 6.) litem principalem alicui, cum consensu recufatoris delegare debet, vel eundem cogere, ut in arbitros consentiat, cap. Si quis. contra. 4. de foro competente. Vel denique si isti modi non succedant, causam ad Superior em trãsmittere, prout *Imol. b b b b 3* *hiq*

hic docet. n. 12. quemadmodum monet hic Abb. n. 5. Alex. n. 12. esse hunc specialem casum, in quo Archiepiscopus circa appellationem cognoscere possit de causa subditorum Episcopi, si ipse recusatus eam ad Archiepiscopum transmittat.

S. Porro.

Si subditus comonitus, ut à delicto abstat, appellationem obiecerit, tunc si excessus eius evidentia facti, vel ipsius confessione aliòve modo manifestus est, appellationi non est deferendum, cum remedium appellationis non ad defensionem iniquitatis institutū sit, sed ad innocentiae praesidium, sin excessus dubius sit, tunc appellans causam probabilem appellationis coram Iudice exponere teneatur, talem videlicet, quæ si probata fuerit, legitima reputari debeat, & tunc si adversarium habuerit, intra terminum secundum locorum distantiam, temporis qualitatem, & negotij naturam à Iudice definiendū appellationis causam prosequatur, sin autem prosequi intermiserit, tum Iudex non obstante appellatione procedat, quòd si autem nullo comparente adversario Iudex ex officio procedat, in hoc casu Superior ad quem appellatum causa coram ipso probatā officium suum exequatur: sin autem in probatione justæ appellationis appellans defecerit ad Iudicem à quo appellatum, eum remittat, qui malitiosè appellavit. Verùm hæc duæ constitutiones huius cap. ad Regulares extendi non debent propter speciales eorum observationes.

SUMMARIUM.

6. Si excessus notorius sit, non potest appellari à correctione ipsius.
7. Notorium quos modis dicatur.
8. Terminus temporis designandus secundum distantiam loci temporis, qualitatem & naturam negotij.
9. Appellatio à correctione non recipitur, nisi allegatā causa probabili.

10. Si appellatum sit à Iudice ratione officij procedente, is à Iudice ad quem citari debet, ut processum suum defendat.

11. Prælati Regularis ad corripiendum procedens secundum Ordinis regulam, recusari non potest, nec ab ipso appellari.

Not. I. Si excessus seu delictum manifestum aut notorium sit, non potest appellari à commotione & correctione. Dicitur autem notorium, variis modis iuxta 6. *ult. de cohabit. Cler.* 1. Per evidentiam facti, quod nullā transgressione celari potest. *cap. Cum olim. 24. de verb. significatione.* 2. Per confessionem Rei in iudicio. *c. Romana. 3. §. Si autem. h. t. in 6.* dummodò ita facta sit, ut excusari non possit, & in alium sensum probabiliter interpretari. *l. ult. C. de errore Advocator. c. Cum dilecti. 18. de accusationibus.* 3. Per testes idoneos, si iis nihil oppositum sit, & in causa conclusum, siquidem ex probationibus in iudicio factis notorium exurgit. *cit. c. Cum olim,* idque postquam renuntiatum & conclusum fuit, ait *gl. in c. Significaverunt. 36. verb. liquere de testibus.* 4. Per sententiam condemnatoriam, si appellatum non sit. *cit. c. ult.*

Not. II. Terminus temporis seu dilatio designanda est secundum loci distantiam, temporis qualitatem, sintne dies breves, an longi, tempestas commoda, vel incommoda, & secundum negotij naturam.

Not. III. Appellatio à correctione non recipitur, nisi allegatā causā probabili. Quòd si Iudex à quo dubitet, num causa justa sit, non tenetur appellationi deferre, sed nihilominus ad executionem sententiæ procedere potest, donec Iudex ad quem post appellationem receptam inhibuerit, ne exequatur. *cit. §. Sin autem.* Et tradit hic Alex. n. 7. & probatur ex hoc cap. ubi dicitur: quòd appellans, ut appellationi eius deferendum sit, causam probabilem (in hoc casu correctionis) exponere debeat.

Not. IV. Si appellatum sit à Iudice ratione officij procedente, Iudex ad quem cogi-

cogniturus causam, citare debet Iudicem a quo, ut processum suum defendat, ita sumitur ex hoc cap. *in neta gloss. verb. coram.* & tradit gloss. in cap. *Venerabilibus. 7. verb. ab alio. de sent. excomm. in 6.* Sin autem sententia, contra quam appellatum pro alio lata videlicet adversario sit, isque compareat & sententiam defendat, tunc Iudex citandus non est, nisi agatur ad puniendum ipsum secundum *Glossam marginales in cit. cap. Venerabilibus. Franc. h. col. ult.*

10 Not. V. Si Prælati Regularis ad corripiendum procedat secundum Ordinis Regularum, recusari non potest, nec ab ipso appellari. ita *Abb. hic. n. 3.*

CAPITVLVM LXII.

Cum causam.

PARAPHRASIS.

Inter Abbates & Fratres de Valle ex vna parte, & Priorem ac Canonicos de loco nouo ex altera lis erat super Ecclesia H. quam Pontifex Iudicibus delegat, delegati eandem subdelegarunt non totaliter; coram his subdelegatis Procurator Canonicorum inducias petiit ad dilatorias exceptiones offerendas, interea verò Advocatus Procuratoris in iudicio confessus est Priorem & Canonicos in pacifica possessione Ecclesie amplius 40. annis fuisse; quam confessionem Procurator eodem die, errorem corrigens, reuocauit; eò quòd intentioni suæ de exceptionibus dilatoriis, quæ ante liti contestationem opponi debent, repugnaret, sed Iudices delegati arbitantes per confessionem illam litem contestatam fuisse, partis adversariæ testes receperunt, sed & aliud grauamen iidem Iudices adiecerunt, quando examinationem testium quibusdam commiserunt, qui eandem aliis subdelegarunt, & horum ipsorum receptiones seu acta ipsi Iudices delegati approbârunt.

His intellectis Honorius III. mandat quibusdam, si ita res se habeat, uti narratum est, videlicet quòd testes recepti fuerint post revocatum errorem Advocati, idèoque lite non contestata, vel quòd Iudices delegati approbârint receptionem testium factam à subdelegatis suorum subdelegatorum (cùm tamen non nisi à Principe delegatus causam alteri subdelegare possit) quidquid post appellationem factum est, dummodò in appellatione ipsa expressum fuerit, irritum atque inane esse pronuntient.

S V M M A R I V M.

1. Litis contestatio in iudicio fit per solam contradictionem partis adversariæ contra petitionem actoris.
2. Procurator ad litem advocatum sibi adiungere potest.
In quo uterque differat.
3. Iudex delegatus causam vel articulum cause jurisdictionalem subdelegare non potest, nisi sit delegatus Principis, secus est de nudo ministerio.

Notand. I. Litis contestatio in iudicio fit per solam contradictionem partis adversariæ adversus petitionem actoris, uti dixi in cap. *vn. de lit. contestat.* cùm enim Abbas & Fratres peterent Ecclesiam alterius partis, advocatus obiecit præscriptionem, atque ita contradixit petitioni. Talis autem contradictio Procuratori adversatur, quia eius intentio erat, exceptiones dilatorias opponere, quæ ante liti contestationem, atque contradictionem circa merita causæ opponi debent.

Notand. II. Procurator ad litem Advocatum sibi adiungere potest; differt enim Advocatus à Procuratore, sicuti dixi *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 8.* Quia Procurator habet mandatum ad agendum & contradicendum, quare eius confessio in iudicio nocet principali, nisi allegato & probato errore revocetur cap. *ult. de confess.* sed confessio

Ad

Advocati non obest parti seu Clienti, quo minus eam statim revocare, & Advocato suo contradicere possit, si tamen sciens taceat, censetur eam approbare & ratam habere. *arg. l. 1. C. de errore Advocator. vbi dicitur: Quæ Advocati presentibus ijs, quorum causæ aguntur, allegant, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis Dominis litium proferantur. Vide Alex. hic. n. 4.*

Not. III. Iudex delegatus causam, vel articulum causæ jurisdictionalem subdelegare non potest, nisi sit delegatus Principis. *c. 27. §. Si verò, de off. deleg.* At verò nudum ministerium seu non jurisdictionalem causæ articulum. v. g. meram testium depositionem delegatus alteri committere potest secundum *Gloss. receptam in Clement. vn. de off. delegati.*

CAPITVLVM LXIII.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Honorius III. Presbytero D. contulit Canonicatum in Ecclesia Salamantina & super eius receptione literas executoriales misit ad Archidiaconum & alios. Sed Capitulum exceptionem opposuit coram executoribus, cum enim certus numerus Canonicorum in Ecclesia iuramento firmatus sit, de quo in literis nulla mentio fiebat, idè ex earum vigore non posse procedi ad executionem, & ne executio fieret, ad Sedem Apostolicam appellarunt, sed Iudices siue executores (sunt enim mixti, quando deputantur ad executionem beneficialium literarum, si alii qui sunt, quorum interest, vel qui contradicunt, sicuti dicitur *l. 3.*) appellatione posthabita, in Episcopum & Capitulares excommunicationem protulerunt, ea propter Capitulum Procuratorem Romanam destinavit, per quem petebant sententiam irritam declarari. Honorius III. auditorem causæ dedit, coram quo ex depositionibus & confessionibus partium constitit quidem, quòd in Ecclesia Sala-

mantina certus Canonicorum numerus juratus sit, & quòd exceptio de hoc opposita fuerit à Capitulo coram Executoribus atque appellatum, sed non satis constabat appellationem propter exceptionem illam non admissam, aliamve causam legitimam interpositam fuisse, idè Honorius III. mandat quibusdam à se delegatis, vt super hoc ipso cognitionem suscipiant, & si repererint, exceptionem eam de certo jurato Canonicorum numero, aliamve legitimam fuisse propositam nec admissam & propterea appellatum, executorum processum irritum esse declarent.

SUMMARIVM.

1. Exceptio peremptoria si impetratas literas debilitet, aut subreptitias ostendat, etiam ante litis contestationem opponi potest.
2. Pars litigans appellare non potest à gravamine nondum presente, seu nondum illato à iudice.

Not. I. Si exceptio peremptoria seu merita causæ infringens, etiam impetratas literas debilitat aut subreptitias ostendit, non tantum post litem contestatam opponi potest, sed etiam tanquam declinatoria seu dilatoria ante litis contestationem quatenus opponitur, quòd Iudex delegatus vel executor vi talium literarum procedere non possit. ita *gloss. in c. 1. verb. obientum. de lit. contest. in 6.* vbi ait: Si exceptio peremptoria perimit literas ante & post litem contestatam, opponi potest.

Not. II. Pars litigans appellare non potest à gravamine nondum presente seu nondum illato à Iudice. ita *Ioan. Andr. hic. n. 2. Imol. n. 8.* qui tamen rectè monent: si Iudex vel executor quidpiam mandet exequendum intra certum tempus, & nisi fiat, censura ipso facto incurratur, appellari possit. *cap. 4. hoc tit.* quia ita mandans actu grauat, quandoquidem ordinariè loquendo, Iudex vel executor, intellige mixtus, incipere non debet à mandato parte non citata, nec audita. *l. 1. C. de execut. rei jud.* Secus est, si clausulam iusti-

justificatorium inferat mandato, vt vel exequatur pars, vel si causam non exequendi habeat, compareat & proponat, tunc enim Iudex non censetur grauare, præcipiendo, quãdo pars mandatum declinare potest, legitimam exceptionem afferendo, ita sumitur ex hoc cap. ex quo colligitur, quòd habens legitimam exceptionem aduersus executoris mixti mandatum, ab eo appellari nõ possit, nisi prius exceptionem proponat, eoque non admittatur; tum ex hac causa, videlicet ob reiectam aut non admissam exceptionem appellari potest.

Obijcitur. Subreptio ipso iure inducit nullitatem rescripti beneficialis *c. 2. de filiis Presbyter. in 6.* in nostro autem casu notoria erat subreptio per confessionem partis, quod videlicet Canonatus à Papa in forma *Dignum* impetratus fuerit, eo tacito, quòd numerus Canonicòrum juratus sit; id enim si Pontifex sciuisset, non facillè Canonatum conferendo, Capitulum grauare voluisset, ergo frustra Honorius III. inquirendum esse ait, num forma appellationis legitime obseruata sit, cum, etiamsi appellatum non esset, Presbyter à petitione Canonatus remoueri debuisset.

Confirmatur, si ex confessione partis appareat, eam jus non habere, non est curandum, num iuris ordo seruatus fuerit, cum in re notoria iuris ordo non requiratur, *arg. 6. vl. de rest. sui. spoliator.* maximè verò si causa beneficialis sit, in qua plurimum potest Iudicis ordinarij officium. *arg. c. Oblata. 57. h. t.* ergo Pontifex rescripti impetrationem statim irritam declarare, & impetranter repellere debuisset, & non causam appellationis cognoscendam mandare.

Respondent *Abb. Franc.* & alij post *Ioan. Andr. h. c.* quia hoc loco coram Iudice appellationis, videlicet Pontifice, actum non fuit, per viam nullitatis, dicendo rescriptum esse subreptitium ac irritum, nec executioni mandandum. sed per viam appellationis, idèd eius formalia probanda erant, videlicet: appellationem modo legitimo fuisse interpositam. Interim verò tametsi Capitulum in probatione succubisset, vel

appellationem deseruisset, nihilominus tamen per viam nullitatis agere dicto modo potuisset.

CAPITVLVM LXIV.

Nicolao.

PARAPHRASIS.

Cum in Controuersia, quæ erat inter Abbatem & Conuentum S. Mariæ & militem Nicolaum, Monachi appellassent ad sedem Apostolicam, miserunt vnum ex fratribus Procuratorem dato mandato procuratorio duntaxat ad impetrandam delegationem causæ & alterius impetrationi partis contradicendum. Postquam verò Pontifex Cardinalem causæ auditorem dedit, & coram eo partibus presentibus Monachus mandatū exposuit, Nicolaus petiuit, vt contra Monachos tanquam contumaces procederetur, & ad expensas condemnarentur. Quare hanc causam Honorius III. quibusdam delegauit hac forma: si cognouerint, quòd Abbas & Conuentus appellationi suæ terminum præfixerint, vt ipsos ad expensas condemnent, eo quòd milite, contra quem appellatum, causam personaliter prosequente, ipsi Procuratorem non sufficientem ad causam appellationis prosequendam miserint.

SUMMARIVM.

1. *Causa appellationis ad Curiam deuoluta, & parte personaliter non veniente, Procurator mitti debet cum pleno mandato ad prosecutionem causæ.*

Not. vnic. Si causa appellationis ad Curiam deuoluta sit, non sufficit quòd appellans vel appellatus mittat Procuratorem ad impetrandum Iudicem delegatum in partibus & contradicendum impetrationi partis alterius. Sed debet Procurator, nisi pars personaliter veniat, mitti cum pleno mandato ad causam appellationis prosequendam, alioquin principalis reputatur contumax, & in expensis condemnatur, De hoc *inf. c. Interposita. 20. h. t.*

cccc

CAPI-

Sua.

PARAPHRASIS.

Inter R. Tutorem filiorum quondam B. defuncti ex vna parte, & F. pro seipso, & P. tutorem quondam filij B. ex altera parte, lis super pecunie summa agebatur coram Iudice Tuscanensi, is sententiam tulit pro Tutore R. à qua pars altera bis appellauit, sed vtrâque vice prior sententia per Iudices à Papa delegatos confirmata fuit, postea pars cõdemnata tertio appellans alios Iudices à Sede Apostolica petiuit, Ea re ita cognita Honorius III. Cardinalem dedit auditorem, qui coram partibus interlocutus est, non potuisse secundum iura tertiã vice appellari. huius sententiam Papa approbans supradictis appellantibus prohibuit, ne causam tertiã appellationis vterius prosequantur.

SUMMARIUM.

1. Tutor pro pupillo agens censetur ipse iudicium suscipere, unde sententia pro ipso vel contra ipsum fertur.
2. Ab eadem sententia ab eodem ter appellari nequit.
3. Sententia lata de nullitate appellationis, vel desertione illius causa est interlocutoria, habet tamen vim definitiuam.

Notand. I. Si Tutor pro pupillo agat, ipsemet iudicium suscipere censetur, ideoque sententia pro ipso tutore & aduersus ipsum profertur. Veruntamen si pupillus infantiam excessit, potest tutor eum sistere, vt ipsemet iudicium suscipiat, presente & autoritatem præstante tutore. Ita tamen vt tutor & non pupillus de calumnia iuret; quod si verò adultus sit, seu qui ætatem pupillarem excessit, ætate minor, qui aliquid debeat, tum actor conuenire quidem potest adultum, atque libellum contra ipsum concipere, sed Curator, si ipsum adultum exhibere nolit seu consensum contendendi dante, ipsemet iudicium suscipere potest ac de-

bet. Ceterum si adultus minor absens sit, omnino contra Curatorem agi debet. Ita habetur in *l. i. admissor. Tutor. sumet. gl. verb. vt ipse liem.*

Not. II. Si quis in eadem causa bis appellauit tertio, appellare non potest. *l. vii. C. ne liceat in eadem causa ter appellare.*

Not. III. Sententia, quã pronuntiat appellacionem fuisse irritam, aut causam appellacionis fuisse desertam, non censetur esse definitiua, cum non sit de meritis cause: est itaque interlocutoria habens tamen vim definitiuam, quia ipsam causam appellacionis finit & perimit, seu peremptam decernit. Ita *Abb. hic n. 3.*

CAPITVLVM LXVI.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Inter Priorem & Conuentum de lacurubeo ex vna parte & E. militem ex altera parte lis erat, quam Ordinarius Magistro A. delegauit, ab hoc delegato Iudice miles appellauit ad Archiepiscopum Bituricensem, sed Prior excepit, quod omisso medio Episcopo ad Archiepiscopum non appellari, consequenter nec Officialis eius causam cognoscere potuerit. Cum autem exceptionem hanc Officialis admittere nollet; Prior appellauit ad Pontificem. Eapropter Honor. III. sententias, quæ post appellacionem late sunt, irritas esse decernit.

SUMMARIUM.

1. Appellationem ad Archiepiscopum Officialis eius seu Vicarius generalis recipere & cognoscere potest.
2. Resoluitur questio, an Episcopo delegante causam alicui, à delegato appellari possit ad Vicarium eius, item si delegatus recusatur, Vicarius de causa recusationis cognoscere possit.
3. Appellatio fieri debet gradatim ad proximam superiorem eius à quo appellatur.
4. Ad Pontificem tamen omisso medio appellari potest, & ad Metropolitanum, omisso medio Episcopo, si consuetudo prescripta id permittat.

Not.

Notand. I. Si ad Archiepiscopum appelletur, Officialis eius seu Generalis Vicarius eam recipere & cognoscere potest. *c. Dilectis. 55. h. t. c. 3. eod. in 6.* nam tribunal seu iurisdictionio Vicarij non est diuersa à iurisdictione Archiepiscopi aut Episcopi, sed pars quædam eius. *c. 1. de off. Vicar. in 6. c. 2. de consuetud. in 6. & docui de iurisdictione Ord. in concl. 91.*

2 Quærit hic Abbas, si Episcopus causam alicui deleet, num à Delegato appellari possit ad Vicarium eius. Similis quæstio est, si Episcopus causam alicui delegarit, isque delegatus recusetur, num de causa recusationis Vicarius seu Officialis cognoscere possit; quam quæstionem tractat *Ioan. Andr. & negatiuè respondet in 6. Si contra. n. 2. de off. deleg. in 6. eodèmq. modo Abb. his num. 3.* Ratio dari debet, quia Episcopus causam alteri specialiter delegando, eam aufert à iurisdictione Vicarij. Sed contra est: Quia licet Episcopus causam principalem à iurisdictione Vicarij abstraxerit, non tamen consequens est, quod etiam abstraxerit causam appellationis, aut causam recusationis, quædoquidem à diuersis non fit bona illatio. *c. 2. de translat. Episcopi. & l. Neque. C. de probationibus.* Et ideo hanc partem tanquam de iure veriorem tenet *Alexand. hic.* Arbitror respondendum: pendere id ex mente Episcopi, de qua etiam coniectura fieri debet; num tali modo causam alteri delegarit, ut omnino à iurisdictione Vicarij abstraxisse voluerit, quod ex adiunctis cognosci poterit, in dubio autem non est præsumendum, voluisse auferre, si sit de causis, quæ alioquin ad Vicarij officium spectant.

Deinde excipiendus est casus, si Episcopus absens seu in remotis sit, tunc secundum epiichiam æstimari debet, contentum eum esse, ut causa appellationis, aut recusationis à Vicario cognoscatur, sicuti limitant etiam *Andr. & Abb. l. cit. arg. l. In hominem. 30. ff. mandati;* ex qua habetur quod Procurator Generalis ob causam non prævisam à principali inhibere possit Procuratori speciali & similiter Legatus Generalis delegato speciali, tamen ordinariè loquendo Lega-

tus Generalis (sicuti & Procurator generalis) in causa alteri specialiter demandata se immiscere non possit. *c. 2. de off. legati.*

Not. II. Appellatio fieri debet gradatim ad proximum superiorem eius, à quo appellatur, non autem omisso medio ad remotum. Exempli causa: à Decano rurali appellari debet ad Episcopum; non ad Metropolitanum: hæc regula Cæsareo iure aded recepta est, ut neq; ad Principem seu Imperatorem omisso medio valeat appellatio. *l. Imperatores. 21. ff. h. tit.* At verò ad Pontificem summum appellari potest omisso medio. v. g. à Decano vel Episcopo. *cap. Ad Roman. 8. causa. 2. q. 6.* idque procedit etiam in causis temporalibus earum Regionum, quæ Pontificis iurisdictioni temporali subijciuntur. *cap. Si duobus. 7. c. Sna. 68. h. t.*

Præterea ad Metropolitanum omisso medio Episcopo appellari potest, si consuetudo præscripta id permittat, teste *gl. in c. Referente. 6. verb. Archiepisc. de prebendis. 2.* Si pars vtraque contentiat secundum *gloss. hic* à plerisque recepta. *verb. post huiusmodi;* tamen enim generalis Regula sit, quod Clerici iurisdictionem Iudicis alieni prorogare non possint. *c. Significasti. 18. de foro compet.* id tamen intelligi debet, si Iudex nullam omnino iurisdictionem habeat, secus si per viam appellationis adiri possit, tunc eius iurisdictionis in causis appellationis prorogari posse videtur.

Quamvis id receptum non sit, & contrarium tradat *Archidiacon. c. Si delegatus. de off. deleg. in 6.*

CAPITVLVM LXVII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Nobilis mulier de Bellebron literas à Greg. IX. impetrauit contra Dominum de Colob. in controuersia, quæ erat super fundo cum filiis eiusdem Dominæ, sed hæc coram iudicibus excepit, quandoquidem filij sub potestate & tutela sua esse desierint, postquam ipsa ad

cccc 2

secun-

secundas nuptias transit, quòd super hac causa pro filiis, quorum nutrix esse desit, respondere non cogatur. Verùm cum Iudices exceptione nõ admissã eam ad respondendum vrgerent, sentiens se grauari, ad Pontificem appellauit, qui hęc mandat aliis Iudicibus, si ita esse cognõrint, vt in irritum reuocent, quidquid post appellationem repererint attentatum.

S V M M A R I V M.

1. Tutor habet personam pupilli sub sua potestate, vt eum gubernet & regat; curator autem potius datur, vt puberis bona administret, quàm vt personam eius regat.
2. Mulier si velit suorum filiorum nutrix esse, potest, (nisi alius testamento tutor datus sit) modò renuntiet secundis nuptiis.
3. Tutor aut nutrix, an & quomodo finita tutela ratione pupillorum conueniri possit.
4. Mater vii nutrix, ita & curatrix esse potest filiorum.
5. Mater si nutrix esse nolit, filio impuberi tutorem (si legitimam habiturus non sit) intra annum petere debet à iudice, aliàs priuanda est successione in bonis filij decedentis in pupillari etate.
6. Idem est, si ad secundas nuptias transeat, vel si alius morituro successurus non petuerit intra annum viuenti tutorem.

NOta: I. Tutor habet personam pupilli sub potestate, vt eum gubernet & regat. arg. l. 1. ff. de tutelis, at verò curator puberis datur potius, vt bona eius administret, quàm vt personam regat, & idèò minorem natu in potestate habere non censetur. l. In copulandis. §. C. de nupt. vbi dicitur: quòd in nuptiis contrahendis authoritas Curatoris non requiritur, quia is solùm rei familiaris sustinet administrationem. Negari tamen non debet, quin etiam Curator curam aliquam & potestatem habeat super persona minoris natu, nam ita vsus comprobatur & indicat gloss. 11. §. certè. instit. qui testamento Tutores dari possint.

Not. II. Mulier si velit filiorum, patris ipsorum defuncto, tutrix esse, potest, ita vt aliis legitimis tutoribus præferatur, nisi alius testamento datus sit tutor: nam testamentarij Tutores omnibus legitimis seu lege datis præferuntur; debet tamen mulier, videlicet mater, aut avia renuntiare secundis nuptiis, & Velleiano S. C. hæc habentur, in Auth. *matris & auie, C. quando mulier tutela officio fungitur*: quamobrem si mater ad secundas nuptias transeat, ipso facto munere tutelæ priuatur, vti hïc apparet, & dixi l. 3. tract. 4. cap. 9. num. 3.

Not. III. Tutor, aut tutrix finita tutela conueniri non potest ratione pupillorum: quòd intelligi non debet de causis & litibus postea ortis; si autem cæpta & pendente adhuc lite tutela finiatur, prosequi tutor litens debet, præterquam si administrationis ratio in alium, videlicet in Curatorem post adeptam pubertatem translata sit. l. vnica. junct. gloss. verb. *Causarum, C. vt causa post pubertatem adsit Tutor*.

Hæc adde 1. Sicuti mater filiorum tutrix esse potest, ita Curatrix, de quo *Alex. hïc. num. 7.*

Adde 2. Quòd mater si tutrix esse nolit, filio impuberi tutorem (si legitimam habiturus non sit) à Iudice petere debet intra annum à die mortis paternæ, alioquin priuabitur successione in bonis filij decedentis in pupillari etate. l. 2. §. *confestim. ff. ad Tertullianum. l. 3. Cod. eodem. §. final. institut. eod.* Idemque dicendum, si, antequam ad secundas nuptias accedat, tutorem alium dari non petat. l. *Omnem. 6. Cod. ad Tertullianum.* sed & quicumque alius pupillo morituro successurus est, nisi viuenti tutorem intra annum petuerit, ab omni successione excludendus est in pœnam à Iudice per sententiam. l. *Sciunt. 10.*

Cod. de legitimis heredibus: videri potest *Molin. tract. 2. de iust. Diss. 123.*

¶ (+) 50

CAP.

Intimâsti.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. mandauerat inquisitionem fieri de Hospitalariis, Inquisitores autem, ignorantibus illis, factâ inquisitione, neque eius processûs copiâ traditâ, relationem ad Pontificem miserunt; id verò perperam actum esse Pontifex ait, cum secundum Cæsareas leges, quoties se Iudex relaturum pollicetur, litigantibus apud acta iudicii exemplum relationis edere cogatur.

SUMMARIVM.

1. Ex quibus causis Iudex controuersiam vel articulum controuersie iudicialis transmittere possit.
2. Iudex articulum causæ dubiæ ad Principem referre volens, debet Relationis copiam partibus edere & petere, vt in eam consentiant, ijs contradicentibus, relationi fides non habetur.

Aduerte quòd pluribus ex causis Iudex controuersiam vel articulum controuersie iudicialis transmittere potest. 1. Quia est negotium superiori specialiter reseruatum *c. 3. de bapt. c. Vi debimus. 59. hoc. tit.* 2. Quia superior tali forma causam delegauit, vt ea cognita & instructa ad ipsum remittatur *c. Cum Bertold. 18. de sententia & re iudicata*; interdum verò Superior delegat causam sub disjunctione & optione relicta delegato, vt vel ipse definiat, vel instructam ad Superiorem mittat. 3. Si Iudex proprio motu causam vel articulum causæ, quia ardua, aut valdè dubia est ad Superiorem consultationis ergo referat, de quo est *tit. C. de relationibus. & tit. noster de appellat. & relationibus.*

2. Not. Vnic. Si Iudex articulum dubiæ causæ ad Principem referre velit, relationem partibus edere, seu copiam relationis tradere debet, ac petere vt in eam consentiant. 2. *C. eod. hoc casu, hoc ipso, quòd non contradicant relationi, approbare eam consentur, teste Alexandro. hic. n. 25. nam*

racens consentire videtur, si non consentire velint, contradicere debent, vt docui *l. 1. tract. 2. c. 3. n. 3.* si autem contradicant relationi, tunc ea fidem non facit, nisi quatenus ea, quæ referuntur, exactis cognosci possunt, quamobrem acta ipsa vna cum compendiosa relatione mittenda erunt, *l. vlt. C. eod.* vide quæ dixi in rubrica huius tit.

CAPITULUM LXIX.

Significante.

PARAPHRASIS.

Decanus & Capitulum Magdunense Iudices impetrârunt à Pontifice contra Episcopum Aurelianensem, volentes ipsi jus nõ competere, vt laniones eius carnes in aliis locis vendant, quàm in tabernis eorum, cum autem Decanus & Capitulum coram delegatis comparuissent, Iudicum officium implorârunt, quoniam Episcopus post citationem carnes aliis in locis vendi mandauerit, vt, quod factum est, in statum pristinum restituatur. Sed ex Episcopi parte propositum fuit, cum lis super causa contestata nondum sit, huic Iudicis officii implorationi locum non esse. Adiciēbatur, quòd cum ex partium consensu dies à Iudicibus ad litigandum destinatus sit, idèoque vsque ad illum diem iudicium solutum sit, non posse Iudices terminum præueniendo partem aduersariam absque ambarum partium consensu audire. Sed quia Iudices oppositiones istas admittere noluerunt, Episcopus ad Papam appellauit, & idcirco Procuratorem misit ad appellationem intra annum prosequendam. Verùm Procurator circumuentus, vt credibile est, contra Episcopi inhibitionem literas impetrauit ad Iudices quosdam suspectos Episcopo, quare ipse literis iis vti noluit, sed non obstante anni lapsu ad appellationis prosecutionem admitti petiit, tum Gregor. IX. quibusdam delegatis mandat, si ipsis de inhibitione, atque de causis appellationis, vel altera earum constiterit,

in irritum revocent, quæ post appellationem attentata sunt, & deinde secundum formam priorum literarum Papalium in negotio ipso procedant.

SUMMARIUM.

1. De jure communi quilibet in suo fundo potest macella vel tabernæ erigere ad vendendum, consuetudine tamen aut privilegio contrarium constitui potest.
2. Clerici possunt carnes & similia quæ ex propriis prædiis colligunt, erectâ tabernâ vendere ad propriam sustentationem, non tamen personaliter sed per laicum.
3. In dubio uter duorum litigantium in possessione sit, actor ante litem contestatam, sine antequam constet ipsum in possessione esse, non potest à iudice petere, ut adversario actum possessorios inhibeat.
4. Iudex dilationem ex partium consensu concessam ordinariè non potest revocare, nisi utraque parte consentiente.
5. Nec Episcopus absque gravi causa potest dispensationem factam cum curato revocare, ne intra septennium ad Sacerdotium promovetur.

Not. I. Licet spectato communi jure quilibet in suo fundo possit macella, vel tabernæ erigere ad vendendum, tamen consuetudine aut privilegio contrarium constitui potest, ut videlicet aliquis non in sua, sed in aliena taberna vendere, vel ad alienum molendinum frumentum deferre teneatur. Veruntamen quatenus hæc servitus in propria taberna non vendendi, v. g. est negativa, non potest eius possessio inchoari, nisi fiat prohibitio & prohibitioni aliquis acquiescat, uti docui l. 3. tract. 1. c. 9. n. 6. & explicat hic Alex. n. 4. Quatenus verò affirmativa est, ut ad alienam tabernam merces tuas ferre debeas, non acquiritur eius possessio per solum, quamvis repetitum accessum, seu delationem, nisi ad eum aliqua saltem virtualis compulsio fiat, siue ut aliquis accedat tanquam obligatus sit, sicuti docui eodem tract. c. 8. n. 8.

Not. II. Clerici possunt carnes & similia, v. g. vinum & Cerevisiam, quæ ex propriis prædiis colligunt, erectâ tabernâ vendere ad propriam sustentationem, secundum *gl. in c. Negotiationem. 9. dist. 88.* dummodo talem negotiationem non exercent personaliter, sed per alium laicum, teste *gloss. in Clem. 1. verb. publicè. de vita & honest. Cler. Alex. hic. n. 5.* qui addit n. 6. quod Clericus per laicum, cum quo societatem ineat, data pecunia, ut alter industriam adhibeat, negotiari non prohibetur, id tamen non nisi propter necessitatem honestari posse, docui l. 3. tr. 4. c. 17. n. 4.

Not. III. Si dubium sit, uter duorum litigantium in possessione sit, tum actor ante litem contestatam siue antequam constet ipsum in possessione esse, non potest Iudicis officium implorare, ut adversario actus possessorios inhibeat, alioqui verò si ponamus Capitulum fuisse in possessione indubitata etiam ante litem contestationem, petere potuisset à Iudice, ut inhibeat Episcopo omnem molestationem, propterea quod lite pendente, quæ litem pendente à citatione incipit, nihil innouari debeat, *Clement. 2. ut lite pend. Ita Abb. hic. n. 6. Alex. n. 20.* Et hæc inferunt etiam pro causis appellationum, quod inter attentata seu innouata, quæ rescindi debent, numerandum non sit, si pars litigans possessione sua, quam indubiè habuit, vel de qua dubitatur, & questio hæret, pendente appellationis causâ, utatur.

Nor. IV. Si Iudex ex partium consensu dilationem concessit, non potest eam ordinariè revocare nisi parte utraque consentiente, dico ordinariè, nam ex justa superueniente causa terminus breviori vel prorogari potest. Ita *gl. hic. verb. pervenire.* Simile est, quod tradit *gloss. in c. Cum ex eo. 35. verb. ad septennium. de elect. in 6.* si Episcopus dispensavit studiorum causa cum curato, ne intra septennium ad sacerdotium promovetur, quod licentiam absque gravi causa revocare non possit, quia per talem concessionem jus acquisitum, seu vinculo aut obligatione aliqua ille liberatus est,

est, quo cum dispensatum; quare locus est *Regula juris 33. in 6. consilium mutare quis non potest in alterius detrimentum.*

CAPITVLVM LXX.

Interposita.

PARAPHRASIS.

Titius coram Iudice contendens, causam probabilem, quæ si probetur, legitima censi debet, allegauit, ob quam respondere non teneretur. v. g. Caium auctorem excommunicatum esse, sed cum Iudex exceptionem admittere nollet, appellauit, hoc casu non sufficit, si Titius coram Iudice ad quem ostendat se appellasse allegatâ causâ probabili, nisi etiam demonstrat veram esse; præterquam si Titius coram Iudice a quo obtulisset se ad probandam veritatem causæ, & admissus non fuisset.

SVMMARIVM.

1. Iudex ex hoc solum, quod exceptionem repellat, appellatio à grauamine justificata non est.
 2. Limitatur Primò, nisi exceptionem obijciens offerat se ad eius veritatem ostendendam, & à Iudice non admittatur.
 3. Limitatur secundò; Si notorium sit exceptionem veram esse.
 4. Tertio; Si exceptio recusationis obijciatur, & non admittatur.
1. **N**OT. Vnic. Iudex non idè grauatur, si exceptionem repellat, quia falsam, & causâ litis differendæ malitiosè oppositam existimat, & idè ob hoc solum, quia Iudex exceptionem repulit, appellatio à grauamine justificata non est.
2. Excipe 1. Nisi exceptionem obijciens offerat se ad eius veritatem ostendendam, & à Iudice non admittatur. *c. Ex parte 7. de test.* Tunc enim apparet, quod Iudex iniuste grauatur, si talis sit exceptio, quæ probata legitima & subleuans erit.
3. Excipe 2. Si notorium sit, exceptionem veram esse, vt probatione opus non

sit, idè inque dicendum, si juris præsumptio sit pro excipiente. *c. 2. de restit. spoliator. in 6.*

Excipe 3. Si exceptio recusationis obijciatur & non admittatur, manifestum grauumen est, ita vt statim appellari possit.

§. Eidem.

SVMMARIVM.

5. Appellatione nec à Iudice à quo recepta, nec ab aduersario acceptata, appellatio non ita censetur deuoluta ad Curiam, vt non possit appellans, etiam inuito appellato, petere Iudicem delegatum.
6. Appellans appellationi suæ renuntiare potest, si res adhuc integra sit.
7. Excipe nisi eam aduersarius acceptarit, tunc enim sine huius consensu ab earecedi non potest.
8. Procedi potest in absentia aduersarii lito nondum contestatâ, si coram Iudice appellationis agatur de Iudicio grauamine illato.

SI appellatio non sit recepta à Iudice, nec ab aduersario acceptata, tunc sufficit ad Curiam Iudicis ad quem mittere procuratorem ad impetrandum, vel contradicendum, etsi aduersarius velit causam appellationis ab ipsomet Iudice ad quem opponi.

NOT. Vnic. Si appellatio nec à Iudice à quo recepta nec ab aduersario acceptata fuit, non censetur appellatio ita deuoluta ad Curiam, vt non possit appellans etiam inuito appellato petere Iudicem delegatum. Exinde verò per sensum contrarium intelligitur, si vel Iudex appellationem recepit, vel aduersarius obijciuit, quod causa ad Curiam deuoluta censetur, vt ibi tractari debeat appellato volente. *c. Nicolao. 64. h. 2. & consentit c. 1. eod. tit. in 6. sed videri debent, quæ dicuntur in c. 5. hoc tit. in 6.* Deinde excipi debent causæ beneficiales, in quibus si appellatum sit ad Papam, probabili causa allegata, tunc causa appellationis in curia esse censetur, ita vt instructa eò deferri debeat. *c. 1. c. Si postquam. 19. §. Sed cum. de elect. in 6.*

§. Ille.

§. Ille.

SI Appellans re adhuc integrâ, videlicet antequam Iudex ad quem, cognoscere causam cepit, vel alteri delegavit, petat, vt remittatur ad Iudicem à quo, adeoque appellationi renuntiet, remissio fieri debet, tametsi aduersarius contradicat, sed debet condemnari ad expensas præstandas aduersario.

6 Not. Appellans appellationi suæ renuntiare potest, si res adhuc integra sit, *l. Si quis libellos. 28. c. de appellat. c. Vt super 4. cod. tit. in 6.* dummodò expensas parti aduersariæ restituat, si quas propter appellationem interpositam fecit.

7 Excipe cum *Bartolo in cis. l. Abbate, & Alex.* hic, si aduersarius acceptauit appellationem, tunc vtrinque communis censetur, vt inuito appellato appellans ab ea recedere non possit, sed si vtriusque consensus adsit & res integra sit, tunc ab appellatione recedi poterit.

§. Sanè.

CAius appellauit à grauamine Iudicis, idque coram Iudice ad quem probare paratus est, sed aduersarius contumaciter abest; hoc casu Iudex appellationis cognoscere potest, tametsi lis nondum contestata sit, quia in tali casu, quo agitur de iniquitate Iudicis prioris remouenda; rigor juris requirementis contestationem litis requiri non debet.

8 Not. vnic. Novus hic casus est, in quo procedi potest in absentia aduersarij, etsi lis contestata non sit, si videlicet coram Iudice appellationis agatur de Iudicis grauamine illato. Ratio dari debet, quia cum non agatur de causa ipsa principali, aduersarij non multum interest.

CAPITVLVM LXXI.

Inquisitioni.

PARAPHRASIS.

Clausula ea, vt Iudex delegatus remota ap-

pellatione procedat, si posita sit in medio rescripti plura negotia continentis, ad præcedentia tantum referri debet, nisi in fine rescripti repetatur, tunc ad omnia antecedentia extenditur.

S V M M A R I V M.

1. Clausula posita in rescripto aliæ dispositione, an ad omnia in ea contenta referenda sit, vel ad aliqua tantum? & quæ illa?

CIRCA hanc quæstionem: Num clausula posita in rescripto, aliæ dispositione referenda sit ad omnia contenta, ita distingue, vel sunt plura negotia siue causæ, tunc clausula posita inter plura negotia referatur tantum ad antecedentia nisi in fine repetatur. Idemque dicendum, si in principio posita sit, quòd ad omnia, quæ sequuntur, pertinere censetur, nisi ex adiunctis aliud colligatur, teste *Alexand. hic. n. 10.* Vel est vnicum negotium siue causa continens plures articulos seu capitula, tunc ordinariè loquendo ad omnia referatur. *c. Secundo. 41. h. t.* maxime si in principio vel in fine ponatur, si autem in medio, tunc vniuersalis Regula tradi non potest, sed attendere oportet, quæ sit natura negotij, & quanta articulorum connexio; Item num clausula ita in medio ponatur, vt sit pars vnius capituli, exempli causâ, mando tibi, vt ante omnia Episcopum spoliatum restituas appellatione remotâ, postea adiutorem vel administratorem bonorum ei adiungas, donec de dilapidatione cognitum sit. *c. Venerabili. 37. de off. deleg. vide DD. in l. 3. §. filius ff. de lib. exhibend. & l. 3. C. cod.*

CAPITVLVM LXXII.

Vna.

PARAPHRASIS.

Causa erat communis pluribus, qui in iudicio succubuerunt & condemnati sunt, vnus eorum appellauit, & in causa appellationis obtinuit, huius victoria etiam aliis prodest, si communi iure iuuentur, & idem negotium, eademq; causa defensionis existat.

SVM-

1. Si plures tanquam Correi vnâ sententiâ damnati sunt, vnus appellare potest, altero non appellante.
2. Et in hoc casu si appellans vincatur, id alteri etiam parti prodest.
3. Sententia appellationis prodest omnibus Correis in eadem causâ per eandem sententiam condemnatis. Secus contingit in sententia lata contra eos in prima instantia, nisi communis eorum incorporalis & indiuisibilis sit.
4. Sententia condemnatoria lata contra vnum, non semper nocet alteri Correo.

NOT. I. Si plures tanquam correi vnâ sententiâ damnati sunt, vnus appellare potest, altero non appellante.

NOT. II. Licet res inter alios acta in iudicio alteri non proffit aut obstat, regulariter loquendo c. penult. de re. & sent. iur. gl. in c. dilecto. 25. de prabendis. verb. non obstat, tamen excipi debet casus iste, si vnus eorum, contra quos in causa communi sententia lata fuit; appellet, & in causa appellationis vincat, etiam alteri id prodest.

3 Quare discrimen est inter sententiam latam in prima instantia, & latam in secunda instantia seu causa appellationis, quod illa pro vno lata ordinariè se non extendat ad alterum, etiam si vtriusque eadem causa sit, quia vterque eodem modo v. g. contraxit, aut fide iussit, nisi res, circa quam vtriusque causa versetur, incorporalis & indiuisibilis sit. v. g. seruitus itineris l. Locci. 4. §. Si fundus. ff. Si seruitus vindicetur: vbi DD. aiunt: quod sententia lata in confessoria pro vno vicino, prodest etiam aliis vicinis eandem causam habentibus, videlicet quod per agrum ire vel cursus agere ipsis liceat.

At verò sententia appellationis prodest omnibus correis, si in eadem causa per eandem sententiam condemnati fuerant. Ratio patet ex dictis, quia etiam sententia Iudicis jus quoddam incorporale & indiuisibile est, ita vt non possit esse partim vera, partim falsa, aut partim iusta, & partim iniusta. cum itaque sententia appellationis pro ob-

jecto habeat sententiam prioris instantiæ, sequitur, quod sententia appellationis lata pro vno, etiam aliis correis seu eadem sententia prior in eadem causa condemnatis proffit.

Veruntamen si vnus contra sententiam prius latam obtineat ex iure speciali. v. g. per viam restitutionis in integrum, quia minor est, tunc victoria alteri non prodest, præterquam si agatur de re incorporali & indiuisibili. v. g. iure pascendi, quod commune est pupillo & non pupillo. hoc casu si pupillus, vel minor natus contra sententiam post de cendum restituatur, etiam alteri hoc beneficium per accidens seu concomitanter prodesse debet, arg. l. Si communem. 10. ff. quem admodum seruitus amittatur, vbi docent DD. quod in re indiuisibili socius per socium privilegium obtineat, quod per se obtinere non posset. Et ita docet Abb. hinc. n. 4. gloss. in l. vnic. verb. patrocinari. C. Si in vna eademque causa: vbi ait: si pluribus in negotio aliquo transigentibus, vnus ob ætatem restituatur tanquam læsus, aliis non prodesse iuxta est. l. Quia restitutio in integrum personale privilegium est. Excipiendum verò esse, si obiectum transactionis sit jus indiuiduum. v. g. seruitus itineris.

Ad extremum aduerte, tametsi in supra dictis casibus sententia lata pro vno, proffit alii correo non tamen consequens esse, quod lata contra vnum semper noceat alteri correo, quoad condemnationem, sicuti constat ex c. Interrogatum. 24. causa 2. q. 5. c. significasti. 5. de adulteriis. v. g. si mulier confessâ adulterium cum Titio, damnata sit, id solum non sufficit ad damnandum Titium. Ratio est, quia fieri potest, vt vnus Correo- rum ex motu, vel errore confessus sit, aut falsis testibus conuictus, aut imperitiâ vel odio Iudicis condemnatus, consequenter alteri defensio sua adim non debet.

CAPITVLVM LXXIII

Si iustus.

PARAPHRASIS

Si motus grauis seu cadens in virum constantem
 d d d d

stantem impediatur aliquem, quo minus à sententia interlocutoria, vel definitiva appellet, is coram Iudice protestari potest, quòd ob talem causam seu gravamè appellare vellet, nisi prohiberetur; aut si coram Iudice non potest, vel non audet protestari, protestationem hanc faciat coram viris honestis, tunc verò perinde haberi debet, ac si appellasset, dummodo talis protestatio facta sit intra decem dies post sententiam, aut gravamen illatum.

SUMMARIUM.

1. Quid agendum, si gravatus à iudice coram ipso appellare nequeat?
2. Protestatio facta coram Iudice, vel si ea fieri non potest, coram honestis viris, æquivalet appellationi, cuius etiam naturam imitatur.

Questio est. Si quis gravatus à Iudice coram ipso appellare non possit, quid agendum? Respondeo, &

Dico 1. Si plures Iudices sint, qui omnes iudicare debent, coram omnibus simul congregatis appellatio faciendæ est, quòd si omnium copia haberi non possit, satis est, si fiat coram parte maiore, & aliis postea intimetur, qua de re *vide Clement. l. b. tit.*

Dico 2. Si nec maior pars haberi possit, & generatim loquendo, si appellatio coram Iudice à quo fieri nequeat, appellari debet coram Iudice ad quem. *c. Biduum. s. §. Si quis. cap. 2. q. 6. & not. Gl. ibid. verb. Coram Iphis. Innoc. hic. & And. n. 5. & videri potest Franc. h. tit. in 6.*

Dico 3. Si nec Iudicem ad quem habere aliquis possit, tunc appellet coram viris honestis, aut uno honesto, adhibitis & testibus, sicuti hic docet *Abb. n. 3. Gl. in c. 4. verb. Literis. de elect. 6.* aut coram notario, qui testibus adhibitis scripturam super hac re conficiat, teste *Alexand. hic n. 9.*

Dico 4. Si metus justus accedat, quo minus aliquis coram Iudice appellet, satis est protestari, seu coram Iudice ipso,

seu coram viris honestis, uti hic dicitur & in *l. 2. C. de his, qui per metum Iudicis non appellaverunt.*

Not. vnic. Protestatio facta coram Iudice, vel si ea fieri non potest, coram aliis honestis viris, æquivalet appellationi, quemadmodum imitatur naturam eius, ut etiam intra decem dies faciendæ sit.

EODEM TITULO IN VI.

CAPITVLVM I.

Cordi.

PARAPHRASIS.

Innoc. IV. in Lugdunenfi Generali Concilio ad lites & molestias litum minuendas statuit, si quispiam intra, vel extra iudicium ab interlocutoria, aut gravamine aliquo appellare velit, causam appellandi in scripto designet, postea Apostolos petat, qui & à Iudice tradendi erunt, in istisq; literis causa appellandi exprimitur, & num appellatio admissa sit, an refutata, aut forsitan appellationi duntaxat ob reverentiam Superioris delatum. postea termino secundum locorum distantiam & negotii qualitatem constituto appellanti, intra quem appellationem prosequi debeat; si appellatus ita voluerit, aut petiverit, personæ principales per seipsas, vel per procuratores instructos cum mandato ad agendum & monumentis atque actis ad causam pertinentibus accedant ad Sedem Apostolicam, ita paratè & instructè, ut, si Pontifici videbitur post expeditum appellationibus articulum, vel ex partium consensu intermissum, in causa principali cognoscenda & definienda procedatur, sicuti de jure fieri potest, & debet; his tamen, quæ circa appellationes à sententiis definitivis antiquitus statuta sunt, nequaquam immutatis; sin verò appellans ea, quæ supra dicta sunt, non observet, perinde

inde habendus est, ac si non appellaret. Insuper ad legitimas expensas condemnandus; quod si verò appellatus statutum istud contempserit, non tantum in expensas tanquam contumax condemnari debet, sed etiam contra eum in causa principali, quemadmodum de jure fieri potest, procedi: justum enim est, ut in eum jura insurgant, qui jus & Iudicem & partem adversariam eludit.

S V M M A R I V M.

1. Appellationes, quæ non sunt à definitiva, in scriptis fieri debent, causâ appellationis ostendem insertâ.
2. Appellatio à definitiva, si statim fiat, iudice adhuc pro tribunali sedente, fieri potest per verbum appello; sin fiat per intervallum, opus est scripto, non tamen necesse est, ut appellationis causa allegetur, secus est in appellatione ab interlocutoria, aut gravamina.
3. Si vult & petit appellatus partes per se vel procuratores instructos super principali, ad Curiam venire debent.
4. In appellatione ab interlocutoria, omisso appellationis articulo, iudex ad quem, causam principalem cognoscere & definire debet, si quidem alias in prima instantia eius iudex esse posset, & partes ita fieri postularent.
5. Conditio requisita, ut forma alicuius actus, & non observata invalidat actum.
6. Contumax in iudicio, iniuriam ac veluti contemptum infert iustitiæ, iudici & parti.

NOT. I. Discrimen est inter appellationem à sententia definitiva, & appellationes, quæ intra iudicium videlicet post citationem adversus interlocutoriã, aut gravamen Iudicis, sive extra iudicium adversus Iudicem ipsum aut alios fiant, quod istæ appellationes, quæ non sunt à definitiva, in scriptis fieri debeant, alioquin nõ valent: & causâ appellationis seu gravamen explicandum est, adeo ut iustitiæ appellationis à Iudice ad quæ

examinanda tantum sit secundum causas allegatas seu in scripto expressas. c. Cum causam. 62. h. t. & gl. hie verb. interlocutoria in fine. Neque refert, tamen si gravamen notorium sit, siquidem etiam notoria quandoq; allegari debent, licet non probati, sicut hic notat Anchor. not. 3. Quod verò attinet ad appellationem à definitiva, si ea statim Iudice videlicet adhuc pro tribunali sedente, fiat, tunc sufficit verbum appello. Sin per intervallum, tum & ea in scripto fieri debet. l. 2. ff. h. 4. iunct. gl. & l. Litigatoribus. 14. C. eodem. Causam verò appellandi allegare non est necesse, quia frustra allegaretur, cum Iudex à quo, de ea cognoscere non debeat, quippe functus officio suo, sed si appelletur ab interlocutoria aut gravamine, tunc is, à quo appellatur, gravamen ad mentem reducere & removere potest, ideo decet ipsi explicare. c. Cum cessante. 60. h. t.

Præterea qui appellat à definitiva, tamen si aliquam appellandi causam nominet, tamen etiam alias causas, quas non expressit, prosequi potest, cum in causa appellationis etiam prius non allegata allegare, & non probata probare liceat. l. 4. C. de temporibus appellat: cum Ioan. 10. de fide instr.

Adde, quæ dicta sunt de appellatione à sententia definitiva, etiam locum habere in appellatione ab interlocutoria habente vim definitivæ, cum etiam per talem interlocutoriam sententiam Iudicis officium cesset teste Franc. in c. Cum cessante. col. 4. h. t. Gail, lib. 1. obseru. 130. n. 6.

Notand. II. Si adversarius non tantum acceptet appellationem, sed etiam velit, ac petat, ut tota causâ instructa ad Iudicem appellationis mittatur, eoque partes vel per se, vel per Procuratorem idoneum ad agendam causam accedant, tunc id fieri debet, idèoque Iudex compelli potest, ut acta iudicii edat, seu copiam eorum Iudiciali suo sigillo obfirmatam exhibeat, quæ ad Iudicem appellationis referentur. Qua de re Gail, l. 1. obseru. 134. Sin autem appellatio ab appellato acceptata non sit, vel etsi acceptata, tamen non postu-

postulatum, vt causa in curia agatur, tunc appellans satisfacit, si absque actis veniat, vel procuratorem mittat ad literas delegationis impetrandas. *c. Nicolao. 64. c. Interposita. 70. §. eid. b. tit. & videri potest Innoc. hic. verb. petuerit.*

- 4 Not. III. Si partes, quæ ab interlocutoria appellârunt, consentiant, vt Iudex ad quem omisso appellationis articulo causam principalem cognoscat & definiat, ipsis parendum, quandoquidem hoc conducit ad litis exitum, id verò locum tantum habet in Pontifice aliisque Iudicibus appellationis, qui causam principalem etiam per viam primæ instantiæ, seu simplicis querelæ cognoscere possunt, non autem locum habent in Archi-Episcopo, qui à subditis non nisi per viam appellationis adiri potest, neque eius iurisdictio prorogari, vt habetur in *c. 1. de foro competent. in 6. vbi gloss. verb. pratermissio* ait: quòd Archi-Episcopus omisâ ex partium voluntate appellationis causâ non possit super negotio principali cognoscere, sed remittere debeat ad Cœpiscopum, à quo appellatum, quod etiam tradit *gl. hic. verb. omisso Anchor. not. 10. Franc. §. Posthac. n. 6.*

- 5 Not. IV. Si conditio aliqua de re iure requiratur, tanquam forma actus, tunc ea non obseruata corruiat, actus, & perinde censeretur, ac si nihil actum esset: nam in tali paria censentur, non fieri, & non legitime fieri. ita sumitur ex *hoc c.* quando dicitur, quòd appellatio ab interlocutoria sententia vel grauamine non seruatis iis, quæ hic præcipiuntur, pro non appellante haberi debent, sicut notauit *Franc. hic. §. Quòd si appellat.*

- 6 Not. V. Contumax in Iudicio veluti tripliciter delinquit, quia iniuriam ac veluti contemptum infert iustitiæ, iudici, & parti. ita significatur in fine *c.*

CAPITVLVM II.

Legitima.

PARAPHRASIS.

Si contra Iudicem ordinarium aut delega-

tum opponatur, quòd sit parti suspectus, iure statutum est, vt arbitri à partibus eligantur, qui de causa suspicionis cognoscant: sin autem ij consentire non possint, tertium aduocent, veluti diremptorem, & quòd ad hoc cogi possint à Iudice, etiam per censuram. prout hæc habentur in *c. Suspicionis. 39. de off. delegati.* Nihilominus quidam arbitri reperiuntur, qui ob vnius partis odium, aut alterius fauorem recusationis quæstionem diutius protrahunt, ita vt causa principalis non cognoscat, ea propter Innoc. IV. hic nouum statutum edit, vt Iudex arbitris competentem terminum statuatur, intra quem vel ipsi intra se, vel si consentire non possint, cum tercio quæstionem recusationis decendant; sin minùs, Iudex procedat tanquam recusatus non sit.

Hæc constitutio nihil noui continet, nisi hoc vnicum, quòd Iudex arbitris certum terminum præfigere debeat, intra quem causam suspicionis seu recusationis terminare debeant: quo finito, si arbitri non pronuntiârunt, Iudex recusatus in causa ipsa procedere potest, vide quæ dicta sunt in *c. Speciali. 61. hoc tit.*

CAPITVLVM III.

Romana.

PARAPHRASIS.

Cum Cœpiscoporum & eorundem generalium Vicariorum seu officialium vnum & idem consistorium sit, ideo si ab officiali aliquo appelletur, non ad Episcopum, cuius Officialis est, appellatio tendere debet (ne alioquin appellatio ab eodem ad eundem fiat) sed ad Curiam Metropolitanam.

De hæc re dictum fuit in *c. 2. de consuet. in 6. & in c. dilecti. 66. hoc tit.*

SUMMARYM.

1. Consuetudo diuturna, si non est rationalis, non potest dare iurisditionem.

2. Archi-

2. Archiepiscopus citans partes super causa appellationis ab interlocutoria aut gravamine, exprimere debet causam, alias citatus comparere non tenetur. Negat hanc doctrinam receptam Francus.
3. Iudex appellationis partes citare debet.
4. Non tamen debet mittere cum citatione partis iudicia quoad inhibitionē, si sit appellatum ab interlocutoria, non item si a definitiva, vel interlocutoria vim definitivam habente.

§. Ab Archiepiscopo.

Si ab Archidiacono aut Decanis, aliisque; Episcopo subiectis Decanis appelletur, appellatio tendere non potest ad Metropolitanum Episcopo omisso, nisi aliud per consuetudinem provincie receptum sit.

NOtand. vnic. Consuetudo diuturna, si rationabilis non sit, jurisdictionem dare non potest. c. Cum contingat. 13. de foro compet. & notat gloss. hic verb. consuetudine. esset autem irracionabilis consuetudo, si appellatio fieret ad Iudicem minorem, vel si appellatio fieret ad eum, qui eiusdem fori seu tribunalis jurisdictionem habet. cit. c. 2. Talia enim sunt contra rationem ac veluti substantiam appellationis, cum ea sit vocatio ad maius & superius tribunal. arg. c. Inferior. 4. dist. 21.

§. Cum autem.

Si a Coepiscopo aut Officiali eius ante sententiam definitivam appellatum sit ad Metropolitanum, ipse vel Officialis eius partes citare non debet, neque causam alteri delegare, si ratio probabilis appellationi inserta non sit.

PRO intellectu repete quod dixi in c. 1. h. tit. & lib. appellationem ab interlocutoria vel gravamine fieri non posse, nisi causa probabiliter allegata, quae si probata fuerit,

legitima censebitur, hae autem allegatio causae fieri debet, non tantum in scripto seu libello porrecto Iudici a quo, sed etiam in libello porrecto Iudici ad quem, & nisi talis causa in libello expressa sit, Iudex ad quera procedere non debet ad citandas partes, aut causam appellationis delegandam, ita explicat Franc. hic.

Aliam theoriam ponit hic Innoc. 4. qui est author huius Canonis, quod Archiepiscopus in citatione partium super causa appellationis ab interlocutoria, aut gravamine exprimere debeat causam, cum aliqui citatus comparere non teneatur. Si enim Iudex jurisdictionem non habeat in personam, nisi ex causa speciali, seu incidente, tunc debet in citatorio exprimere causam; secus si jurisdictione Iudici competat per se & ordinariē, tunc enim ob reverentiam Iudicis, ne auctoritatem eius contemnere videatur, citatus comparere debet, tametsi dubitetur, num sit ipsi subiecta persona, quae citatur, quandoquidem ipsius Iudicis est cognoscere, num sua sit jurisdictione. l. Si quis ex aliena. 5. ff. de iudiciis. Aliter tamen dicendum, si notorium sit, Iudicem non esse competentem, seu nulla jurisdictione praeditum erga hanc personam, teste Gloss. ibidem. Atqui in proposito casu notum est, quod Archiepiscopus nullam jurisdictionem habeat erga subditos Coepiscopi sui, nisi in casibus quibusdam exceptis, ergo in citatorio casum seu causam citandi exprimere debet.

Porro tametsi ipsa appellatio, si nimirum in citatorio dicatur appellatum esse a definitiva causa, sufficiens sit, secus tamen esse videtur in appellatione ab interlocutoria, cum talis appellatio ad Curiam Metropolitanam devolvi non possit, nisi ex causa probabiliter allegata. Hae est probabilis theoria, quam hic impugnat Franc. & vsu non receptam ait, atque ad auctoritatem Innocentij responderet, hae eum scripsisse ut Doctorem, non ut Canonis Conditorum.

§. Si verò.

Si post interpositam appellationem ad Me-

d d d d 3

uo.

ropolitanum vocatis ad ipsum partibus opponatur, vel omnino non fuisse appellatum, vel non intra tempus decendij, aut ex alio capite (puta quia renuntiatum sit appellationi, vel sine causa probabili sub interlocutoria appellatum) appellationem non esse devolutam ad Metropolitanum, tunc ipse inhibere non debet Iudici à quo, nec in causa illa cognoscenda & diffinienda (si ab interlocutoria vel gravamine appellatum sit) ulterius procedat; vel (si à definitiva sententia appellatur) ne ad executionem eius progrediatur.

9 **Not. I.** Iudex appellationis sive à definitiva, sive ab interlocutoria appellatū sit, partes citare debet. Ita *Anchoran. hie not. 5. Franc. in princ. huius. §. gl. in c. Pertuas. 58. h. tit.*

4 **Not. II.** Si appellatum sit ab interlocutoria, Iudex appellationis non debet unā cum citatione partis mittere Iudici à quo inhibitionem; quia inhibere ei non debet processum, nisi prius causa appellandi probata & justificata sit, quod ipsum in praesentia partium fieri debet. Sicuti explicat *Gail. l. 1. observ. 144. n. 4.* at verò si à definitiva appellatum sit, vel ab interlocutoria vim definitivā habente (quia finit Iudicis processum) tunc usitatum est, ut Iudex statim cum receptā appellatione partes eitet, etiam inhibeat Iudici à quo, ne ad executionem sententiæ procedat, teste *Gail. l. 1. observ. 130. n. 7. & eis. observ. 144.* videri is etiam potest in *observ. 134. l. 1.* Vbi de compulsorialibus literis agit, quibus Iudici à quo mandatnr, ut Iudicii acta edat, sive copiam eorum det.

§. Quod si.

Si appellans coram Archiepiscopo obiiciat, ex causa iniusta, aut irrationabili ante sententiam fuisse appellatum, ideòque non admittendam appellationem, non debet Archiepiscopus aut officialis eius inhibitionem facere, nisi prius receptā appellatione cognoverit, causam legitimam & veram esse. Constat hæc doctrina ex §

Præcedente. & explicabitur infrà c. Non solum. 7. h. tit.

§. Si autem.

Tametsi appellatus coram Archiepiscopo dicat, appellationem à sententia definitiva factam esse in casu prohibito, v. g. super crimine notorio, vel postquam reus in iudicio confessus est, nihilominus tamen Archiepiscopus, postquam cognoscere ceperit, num appellatio recipienda sit, necne, inhibere potest Iudici à quo, ne sententiam exequatur.

S V M M A R I U M.

1. Si constet, appellationem fuisse illegitimam, aut frivolam, nec Iudex à quo ei deferre, nec Iudex ad quem, eam recipere debet, secus est in casu dubio.
6. Regula illa: pendente appellatione nihil innovandum, referenda solum est ad Iudicem à quo, & partes litigantes.
7. Subditi Episcoporum non sunt subditi Metropolitaniani.
8. Si male appellatum à sententia interlocutoria, vel alio iudicio gravamine, Iudex debet causam ad Iudicem à quo remittere.

5 **Notand. Vnic.** Si constet, appellationem fuisse illegitimā aut frivolam, nec Iudex à quo ei deferre, nec Iudex ad quem eam recipere debet. sin autem de hoc dubitatur, quia v. g. crimen in iudicio confessus allegat, se metu tormentorum confessum; tunc Iudex ad quem appellationem recipere & ante omnia de veritate causæ cognoscere potest, & tunc primū, cum videlicet cognoscere incepit, num causa principalis ad ipsum devoluta sit, sive utrum appellationem contra sententiam recipere debeat, executionem eius inhibere Iudici à quo, ita *Anchor. l. not. 10. Franc. n. 2.*

§. In alium.

Si ad Archiepiscopum appellatum sit, post receptam appellationem, inhibere potest Iudici & partibus, ne quid innovent, aut attentent, non autem alteri personæ, cum qua lis nulla est.

6 **Not. Vnic.** Regula illa: pendente appellatione nihil innovandum; referri debet

debet ad Iudicem à quo & personas litigantes, non autem ad aliam personam, quia res inter alios acta alii non præjudicat. *l. Creditor. 60. junct. Gl. ff. mandati.* Quare Iudex appellationis tertium istum nec citare, nec alium jurisdictionis actum erga ipsum exercere potest, nisi ipsius jurisdictionem impedire velit. uti *gl. hinc. ait verb. alium.* Interim non prohibet ille tertius, cum quolibet contestata non sit, si velit, atque sua interfit, coram Iudice appellationis comparere, & litem promovere, vel appellanti adfistere. *c. Veniens. 38. de testibus.*

§. Cùm verò.

Qui à Coëpiscopo ad Metropolitanum appellavit, in aliis causis jurisdictioni Episcopi ordinarii sui subiectus manet, eam proinde Metropolitanus aut officialis eius impedire non debet.

7 **N**ot. Vnic. Subditi Episcoporum non sunt subditi Metropolitanis, quare in eos nullam jurisdictionem exercere potest, nisi in casibus jure exceptis.

§. Debet.

Etiam in causis temporalis jurisdictionis ab Episcopo appellandum est ad Metropolitanum, nisi speciali jure, consuetudine, aut privilegio ad alium appellari debeat.

Tale jus speciale est, si Episcopus feudum habeat, nam in causis feudalibus ad Dominum feudi etiam laicum appellari debet. *c. Extramissa. 6. & c. Sequentes. de foro compet. sed & hoc passim, præsertim in Romano Imperio introductum est, ut, quia causæ temporales Ecclesiasticorum apud Advocatos eorum juxta primas fundationes decidi solent, ab eorum sententiâ ad Imperatorem, tanquam primum & universalem Ecclesiarum Advocatum appellari debeat.*

§. Sententias.

Si quis appellaverit ab Episcopo ad Metropolitanum; Episcopus autem censuramulerit in appellatam, non debet Metropolitanus eam revocare, aut irritam

declarare, nisi vocatis partibus, & cognito prius de justitia appellationis. ita intelligit *Dominicus hinc.*

Loquitur autem iste §. non de absolute, sed de revocatione censuræ, tanquam nulliter latæ v. g. post appellationem legitime interpositam. Verumtamen hoc ipsum ante omnia cognosci debet, num appellatio legitima fuerit, sive, ut aliis verbis dicatur, appellatio prius justificari debet, cum attentata post eam, videlicet excommunicatio lata rescindatur. Sicuti hinc docet *Anchor. not. 15. Abb. in c. Quafronte. n. 6. extra. h. 1.* Si enim frivola fuisset appellatio, tunc excommunicatio valeret, & ideo ad cognoscendam justitiam appellationis excommunicator citari debet, cum de honore ei⁹ agatur, sicuti monet *Abb. l. cit.* Num autem Metropolitanus, excommunicatum ab Episcopo, aditus per viam simplicis querelæ aut appellationis absolvere possit, & quo modo, traditur in *c. Ad reprimendam. 8. de off. Ordinarij. c. Per tuas. de sent. excom. v. Ex parte. 23. de verb. signif.*

§. Cùm autem.

Si ab Episcopo ante sententiâ definitivam appellatum sit ad Archiepiscopum seu Officialē eius, is cognoscere debet de causa appellationis, & si eam minus rationabilē cognoverit, ulterius nō procedere, sed appellatam ad suum Ordinarium remittere.

Not. vn. Si appellatum sit à sententiâ interlocutoria, aliòve Iudicis gravamine, & causa appellandi probabilis, coram Iudice ad quem, reperta non sit, nō debet is procedere in causa principali, sed remittere ad Iudicem à quo.

CAPITVLVM IV.

Vt super.

PARAPHRASIS.

Innoc. IV. præcepit Iudici à quo appellatum, ut appellanti Apostolos petenti tribuat secundum priorem eiusdem Innocentij constitutionem, quæ incipit: *Cordis.* Sin autem instanter petenti non dederit Apostolos, processus eius postea institutus irritus erit, præterquam si appellationi renuntiatum sit. **Not.**

Not. vnic. Si quispiam legitimè ante sententiam appellans petit Apostolos sibi dari, & Iudex expressè vel tacitè sibi neget, processus eius postea institutus non valet, hæc est explicatio, *c. 1. Cordi. in principio & magis declaratur in c. Ab eo. 6. h. s.*

CAPITULUM V.

Cum appellationibus.

PARAPHRASIS.

Si Iudex à quo appellatum, appellationem non admittat, quòd legitima non sit (quòd quidem friuolis appellationibus deferendum non est) appellans verò nihilominus eam prosequatur, Iudex ad quem appellatum, si cognouerit, malè esse appellatum, remittere debet causam iuxta canonicas sanctiones, atque appellantem eodem die, in quo contra ipsum pronuntiatum, ad expensas condemnare; sin verò Iudex à quo appellationem admiserit, ei detulerit, tunc tamen si illegitima sit, vt appareat, Iudicem à quo non rectè detulisse, tamen quia ipse, quantum in se fuit, jurisdictionem à se abdicauit, appellationi deferendo, totius causæ decisio ad Iudicem, ad quem deuoluta est, quare necesse non est causam remitti; intelligi autem hæc debent de appellatione facta ante sententiam, non autem de appellatione post sententiam.

SYMMARIUM.

1. Etiam si Iudex nolit deferre appellationi, ea tamen parit effectum deuolutiuum.
2. Iudice à quo deferente appellationi ante sententiam, licet ea friuola fuerit, tota causa principalis deuoluitur ad Iudicem ad quem.
3. Appellatione sententia intelligitur definitiua.
4. Licet Iudex à quo detulerit appellationi à definitiua, ea tamen non instituitur, executio sententia Iudici à quo relinquenda.

Not. I. Etsi Iudex à quo appellationi deferre nolit, tamen parit effectum deuolutiuum, vt appellans appellationem prosequi possit. *c. Sape. 44. extra h. t.*

Not. II. Si Iudex à quo appellationi ante sententiam detulit, quamuis ea friuola & irrationabilis fuerit, tota causa principalis etiam defertur ad Iudicem ad quem, ita vt eam remittere non teneatur, æquum tamen est, vt remittat, si Iudex à quo propter reuerentiam Iudicis superioris detulerat, vide dicta in *c. Interposita. 70. §. ille. h. t.*

Not. III. Appellatione sententiæ, si nihil adijciatur, intelligi debet definitiua, cum hæc sit principalis & vltima, quæ litem absolutè finit.

Not. IV. Tamen si Iudex à quo detulerit appellationi à definitiua, tamen, si appellatio justificata non sit, siue Iudex ad quem cognouerit, bene iudicatum & malè appellatum, tunc executio sententiæ relinqui debet Iudici à quo. sicuti docet *Ioan. Andr. & alij in c. Pastoralis. 28. prater ea de off. delegat.*

CAPITVLUM VI.

Ab eo.

PARAPHRASIS.

Appellans intra dies 30. Apostolos instanter petere debet, alioquin præsumitur appellationi renuntiare, tamen si Procuratorem mittat ad prosequendam appellationem. Quòd verò Innoc. IV. in *c. Vt supra. 4. de ereuit*, si Iudex à quo Apostolos postulanti non dederit intra dies 30, vt processus eius vltior (nisi appellationi renuntiatum sit) irritus existat, id intelligi debet, si Iudex cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitos Apostolos expressè denegauit, vel per malitiam, aut negligentiam tempore illo dierum 30. tradere intermisit.

Not. vnic. Nisi appellans intra dies 30. Apostolos petat, & quidem instanter, appellationi renuntiare censetur. Dixi de hoc in *c. 4. ext. ead.* & videri potest *Clement. 2. eod. tit.*

C API-

Non solùm.

PARAPHRASIS.

Si appellatum sit à definitiva, Iudex appellationis (exceptis casibus, quibus iura appellationem prohibent) ante omnia revocare debet non tantùm, quæ post appellationem, sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam, aut appellationem mutata & innouata sunt.

SUMMARIVM.

1. Post appellationem à definitiva acceptam, iudex statim iudici, à quo inhibet executionem sententia, & post eam attentata rescindi iubet.
2. Et tunc causa appellationis non debet justificari. Si tamen attentatorum quæstio altioris sit indaginis, contestanda lis est. Alias ea revocanda iudicis implorato officio, vel proprio eius motu.
3. Post inhibitionem factam & acceptam acta iudicis irrita sunt, nullà obstante exceptione.

1. **Not. I.** Iudex quamprimum appellationem à definitiva recepit, priusquam de meritis causæ cognoscere incipiat, inhibitorias mittit iudici à quo, ne ad executionem sententiæ procedatur, & ut omnia, quæ post sententiam attentata sunt, rescindantur, dummodo appellatum sit intra dies 10.
2. **Not. II.** Si appellatum sit à definitiva, articulus appellationis non est distinctus à causa principali, quare necesse non est, causam appellandi justificari, sicuti fit in appellatione ab interlocutoria. Deinde mox, ut Iudex cognouerit, intra 10. dies appellatum fuisse, inhibitorias mittit, ut dixi in 1. not. & notat gloss. recepta. in c. Venientes. 19. de iuris. Si tamen quæstio attentatorum altioris indaginem requirat, super ijs litem contestari debere, docet Guil. l. 1. obser. 145. alioquin verò attentata, iudicis implorato officio, aut etiam proprio eius motu revocantur.

Si appellatum sit ante sententiam, videlicet ab interlocutoria, aut gravamine: Iudex appellationis revocare non debet innovata post eam, nisi prius justificatâ appellatione, seu cognito, causam legitimè appellandi & veram fuisse; præterquam si Iudex, postquam causa probabili coram se allegata, de veritate eius in præsentia partium cognoscere cepit, Iudici à quo inhibuerit, ne procedat; nam quæ post inhibitionem innovata sunt (esto causa allegata postea non recipiatur vera) in statum pristinum revocari debent.

Notand. vnic. Si Iudex ad quem præsentibus partibus cognoscere incipiat de veritate causæ appellationis, inhibitorias potest mittere iudici à quo, ita quidem, ut, quæcunque à Iudice acta fuerint, post inhibitionem acceptam irrita esse debeant, nullà obstante exceptione, tamen si postea veritas causæ ostensa; seu appellatio justificata non fuerit. Videri potest *Franc. hic. n. 5.*

CAPITVLVM VIII.

Concertationi.

PARAPHRASIS.

Dubitatum olim erat, intra quod temp^{us} liceat appellare à gravamine extrajudiciali, v.g. factâ electione, postulatione, provisione. Hoc dubium dirimit Clem. IV. intra dies 10. appellari posse numerandos à die notitiæ, cum videlicet appellans scivit gravamen illatum. v.g. electionem factam illegitimè, post elapsos autè 10. dies, tamen si appellare non possit aliquis, tamen per alia juris remedia. v.g. electionem irritam esse dicendam, aut rescindendam, eius revocationem petere non prohibetur.

SUMMARIVM.

1. Extra judicialis appellatio fit à gravamine illato vel inferendo.
2. Et annus prosequenda appellationis in hoc casu numeratur à die illati gravaminis.

c e e c

3. De-

3. Decendum ad appellandum concessum à gravamine illato cognito numerandum à tempore, quo sciuit suum gravamen v. g. electionem in sui præiudicium factam.
4. Habens plura juris remedia, ab uno eorum exclusus, vel superatus, altero experiri non prohibetur.

Adverte 1. Extraiudiciale gravamē esse, quod extra iudiciale processū infertur.

Adverte 2. Appellatio extraiudicialis alioquin fit à gravamine illato. Interdum verò fit à gravamine futuro. v. g. Si quis videat, Canonicos iam esse paratos ad eligendum Titium, atque appellet ad Sedem Apostolicam, ne talis electio fiat, allatà ratione probabili, quæ si probata fuerit, iusta reputabitur. v. g. Titium esse suspensum, excommunicatum aut criminiosum. c. *Desideravimus. 10. de elect.* Quod si in casu hoc capitulares v. g. posthabitā appellatione nihilominus procedant ad electionē, tunc ei⁹ valor pendet à futuro eventu. si enim appellatio iustificata fuerit, revocatur electio, si nō iustificata fuerit, cōfirmabitur electio. cap. *Constitutio. 4. b. extra hoc tit. & not. gl. b. v. gravatū*, atq; contra tale gravamen semper appellari potest, dum inferendū rationabiliter timeatur: annus veid prosequēde appellationis, in hoc casu numeratur à die illati gravaminis, iuxta *Clem. 3. b. s.*

Adverte 3. Decem dierū spatiū, quod datur ad appellandum à gravamine illato cognito, numerandū non esse à puncto temporis, quo aliquis scivit, electionē factā esse, sed cum scrivit, in sui præiudicium factā, sicuti bene notavit *gl. b. verb. Si verò exemplū dans*, si aliquis sciverit, ante 3. dies. v. g. Caio beneficiū collatū, sed eo tempore sibi à Pontifice eiusdē beneficii collationē jam factam fuisse nescierit.

Notand. vnic. Si quis plura juris remedia habeat, atque ab vno eorum exclusus sit, vel superatus, altero experiri non prohibetur. v. g. Si quis appellare intra debitū tempus intermisit, vel appellationē deseruit, quia in ea succubuit; postea per viā nullitatis agere potest, vt hic & in *l. Si expressim. 1. g. ff. hoc tit.*

CAPITVLVM IX.

Appellatio.

PARAPHRASIS.

Sufficit, si appellatio in scriptis Iudici tra-

ditā sit, quando Scriptura requiritur licet coram eo lecta non fuerit.

Notand. vnic. Appellatio ordinariè loquendo fieri debet coram Iudice, & nō coram Adversario; expedit tamen ei intimare appellationem, vt sciatur, num in eam consentire velit, & ne frustra morando expensas faciat,

CAPITVLVM X.

Si à Iudice.

PARAPHRASIS.

Titius ante sententiam appellavit à Iudice tanquam gravatus, tunc Iudex terminum appellanti constituere vult, intra quem gravamen ostendere debeat, revocationem eius postea auditurus. Quæritur, num ad hoc citatus Titius comparere teneatur? Resp. Bonifacius VIII, quod Titius non teneatur venire ad probandū gravamen coram Iudice, à quo, cum ipsemet scire possit & debeat, num gravavit, nec ne. Accedit, quod Iudicis jurisdictio per appellationem suspensa sit, ideò que citare ampliùs non possit; Verum si Iudex ad hoc tantum citet Titium, vt gravaminis revocationem audiat, si eam faciendam arbitretur, tunc comparere debet, alioquin si non comparuerit, & Iudex gravamen revocaverit, in causa procedere potest tanquā contra contumacē, perinde ac si appellatio interposita nō fuisset.

SUMMARYM.

1. Per appellationem jurisdictio Iudicis à quo suspenditur.
2. Si tamen Iudex revocet gravamen, propter quod appellatum est, jurisdictionem resumere potest.

Not. I. Per appellationem jurisdictio Iudicis à quo suspenditur, quamobrem ei citanti impunè nō pareatur. Ratio est, quia, cum appellatio pariat effectum devolutivum, Iudex ad quem de eius appellationis iustitia cognoscere debet, non Iudex à quo.

Excipe, quod Iudex à quo ea agere posset post appellationem ante sententiam, quæ tendunt ad faciliorem exitum causæ, videlicet revocare gravamen, & ad hanc revocationem videndam citare partes.

Not. II. Si Iudex gravamen, propter quod

quod appellatum est, revocavit, jurisdictionem resumere potest, perinde ac si appellatum non sit. *c. Cum cessante bo. ext. h. tit.*

CAPITVLVM XI.

Collationem.

PARAPHRASIS.

Beneficiū vacans à Capitulo Cathedrali collatum est Titio in præiudicium Caij (quia fortasse lis super eo inter Caium & defunctum possessorem contestata erat, idēque ea pendente collatio fieri non debebat. *c. i. vt lite pendente h. lib.*) eique collationi interfuit Episcopus, postquam verò dictus Caius intellexit collationem factam, voluit ab ea appellare. quæritur, num appellare possit ad Episcopum?

Respondet Papa, si is interfuit tanquam Episcopus seu Prælatus vnâ cum Capitulo suo collationem faciens, ad ipsum appellari non potest, sed ad Superiorem eius; sin autem vt Canonicus tantum interfuit electioni, aut collationi, ad ipsum vt Episcopum appellari nihil vetat.

S V M M A R I V M.

1. Ab ijs, quæ in capitulo gesta sunt, consentiente etiam Episcopo ut Canonico appellari potest ad Episcopum, secus est, si is interfuit, & consentit vt Episcopus.
2. Vnus homo diversis qualitatibus cōsiderari, & diversa veluti personas gerere potest.

Not. I. Fieri potest, vt aliquis Episcopus, saltem ex Papæ dispensatione, sit etiam Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, quo in casu ab ijs, quæ in Capitulo, etiam eonsentiēte Episcopo tanquā Canonico gesta sunt, appellari, aut querelæ deferri possunt ad eundem tanquam Episcopum; sin autem actum gessit. v. g. collationem vnâ com Capitulo fecit vt Episcopus, tunc ad ipsum appellatio deferri non potest. Ratio est, quia impossibile est, vt ab eodem ad eundem appelletur, cum appellatio sit provocatio ad alterum, eūque Superiorem; in p̄stioiore autem casu appellatio tenderet ad eundem, qui actum gessit. v. g. contulit beneficium, quando quidem verè dicitur, Episcopum seu Prælatum contulisse, licet non solus, sed vnâ cum Capitulo; at verò in priore casu non rectè dicitur, Canonicum actum egisse, seu con-

tulisse, sed Capitalum. Quamobrem etiam eo absente, aut contradicente collationem ab alijs fieri potuisse.

Not. II. Vnus homo diversis qualitatibus cōsiderari & diversas veluti personas gerere potest, videlicet vt Episcop⁹, & vt Canonic⁹.

CAPITVLVM XII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Sempronius coram Iudice suo litigans ab interlocutoria neglexit appellare, postea verò appellat à definitiva. Quæritur, an Iudex appellationis reformare etiam possit gravamen interlocutorium?

Respondet Bonifacius, esse distinguendum, si enim talis sit interlocutoria, quæ negotio principali præiudicet, vt si à Iudice repulsa sit exceptio pacti, præscriptionis, aut quæ iudicium retro nullum efficit, tunc Iudex appellationis interlocutoriā emendare non potest.

S V M M A R I V M.

1. Exceptionem peremptoriam à iudice non admissam appellans à sententia definitiva repetere potest, & iudex ad quem, de eadem cognoscere debet, secus est de exceptionibus dilatorijs.
2. Consultum est, vt partes in prima instantia petant, probationes & exceptiones integrè recipi. & in actis iudicii accuratè describi.

Not. vn. Exceptionem peremptoriā, v. g. pacti de non petendo, præscriptionis item exceptionē, quæ iudicium retro nullum reddit. v. g. exceptionē falsi testis, aut procuratoris, *c. In nostra. 4. de procurat. c. Cum Venerabilis. de exceptionib.* Item rescipitum ab excommunicato impetratū esse. *c. i. de rescript. in 6. talem, inquam, exceptionē si Iudex non admiserit, sed repulerit, postea repetere potest is, qui appellat à definitiva, & Iudex ad quem de ea cognoscere debet; secus dicendum est de alijs exceptionibus, quæ dilatoriz sunt, ita, vt non nisi ante litem contestatā opponi possint; hæ enim si à Iudice rejectæ sint, & excipiens intra decendium nō appellarit, postea audiri non debet, nec Iudex de talibus exceptionibus cognoscere. *l. Ita de m. 12. C. de procuratoribus.**

eeee 2

Ratio

Ratio est, quia per interpositam & receptam appellationem à definitiva, causa reducitur ad eum statum, in quo erat tempore litis contestatæ, quandoquidem non allegata allegare, & non probata probare, coram Iudice ad quem, concessum est, dummodò talia sint, quæ post litem contestatam allegari & deduci potuerunt, sicuti *Gl.* monet super hoc cap.

Eapropter consultum est, ut partes in

prima instantia petant probationes & exceptiones integrè recipi, & in Actis Iudicii accuratè describi, vti aduersarius appellaverit. At verò coram Iudice appellationis nihil novè adferat, nisi quòd in priori Iudicio vtrunque allegatum & deductum fuit. Appellatus ulterius ad articulos nõ respondeat, sed referat se ad acta prioris iudicii, quippe quæ notorium efficiunt, sicuti notavit *Gail. l. 1. obser. 128.*

TITVLVS XXIX. DE CLERICIS PEREGRINANTIBVS.

Peregrinantes seu proficiscentes ad Sedem Apostolicam, vulgò Romipetæ dicti, sub eiusdem Sedis protectione esse censentur, instar eorum, qui provocaverunt; quare post Titulum de appellat. subiicitur de peregrinantibus.

CAPITVLVM VNIC.

Conquerente.

PARAPHRASIS.

Presbyter I. ad Romanum Pontificem iter arrepturus non expressit, ut res & Ecclesiæ suæ sub protectione Sedis Apostolicæ essent, postea, cum profectus fuisset, aliqua ipsi erepta, aut subtracta erant. Hoc casu respondet Cælestinus III. Quidquid ei post arreptum iter subtractum fuit, restitui debere; propterea quòd ij, qui ad Pontificem Romanum se conferunt, vnà cum rebus suis sub Apostolica protectione securi esse debeant.

SUMMARIVM.

1. Proficiscens ad Sedem Apostolicam, & bona eius omnia, sunt interim sub protectione eiusdem Sedis, & si quid ablatum esset, mox restituendum.

2. Nec quidquam contra attentandum, siue intra, siue extra iudicium, alias attentata, revocanda.
3. Excommunicantur in Bulla Cane Domini excommunic. 9. qui spoliant peregrinantes Romam negotij causâ: excommunicatione autem 10. qui spoliant illum peregrinantes deuotionis causâ. Discrimen inter vtramque excommunicationem, in quo sit.
4. Contra occupantes absentium possessiones admittendi ad agendum coloni, parentes, propinqui, amici, serui sine mandato in possessorio iudicio, modo caueant de rato.

NOT. Vnic. Si quis ad Sedem Apostolicam iter arripuit, is, eiusque bona omnia interim censentur esse sub Apostolicæ Sedis protectione, ut, si quid ei ablatum, vel ereptum fuerit, mox restitui debeat, nullâ obstante proprietatis exceptione. Ex quo apparet, quòd remedium huius canonis imitetur remedium attentati post interpositam appellationem, cum in vtroque restitui debeant, quæ interim immutata, aut sublata sunt.

Quæstio autem est, num hæc responsio intelligi tantum debeat de iis, quæ de facto alicui auferuntur, an etiam de iis, quæ in iudicio auferuntur, si videlicet aliquis ad Roma-